DARES PHRYGIUS,

POETARUM & HISTORICORUM
Omnium Primus,

DE BELLO TROJANO
LATIO JURE
à
CORNELIO NEPOTE
Carmine festivo
DONATUS

LUBLINI
Typîs S.R.M. Colleg: Soc: JESU.
A. D. 1748.

VITA DARETIS PHRYGII,

EX ANTHROPOLOGIA RAPHAELIS VOLATERRANI.

DARES PHRYGIUS Historicus, scripsit bellum Trojánum, in quo ipse militavit, ut ait Isidorus, primus ferè Historicorum: qui tandem capto Ilio cum Anthenoris factione remansit ut scribit Cornelius Nepos, *qui Opus ejus in sex libros è Græco convertit, dicavitq; Crispo Sallustio.*

DARETIS PHRYGII,

D E

Excidio Troiano.

LIBER PRIMUS.

ILIADUM lachrymas, concessaq; Pergama fatis,
Prælia bina ducum, bis adactam cladibus urbẽ
In cineres querimur: flemûsq; quòd Herculis
ira,
Hesiones raptus, Helenæ fuga fregerit arcem,
Impulerit Phrygios, Danaas exusserit urbes.
Ut quid ab antiquo vatum proscripta tumultu
Veri sacra fides longum sylvescis in ævum.
An quia spreta lates? mundoq; infensa priori
Nos etiam noscenda fugis? mecum inclyta, mecum
Exorire, & vultum ruga leviore resumens'
Phæbeam dignáre tubam, sterilisq; vetustas
Erubeat dum culta venis, dum libera frontem
Exeris, en aures blandas, en pectus amicum
Mulces, vulgarem leviùs passura cachinnum.
Si nostris nil dulce novum, nil utile visum
Quod teneri pariunt anni, si sæcula tantùm
Aurea Saturni memorant, & nulla recentis

Gratia virtutis: aude tamen ardua, pubes.
Mento canescant alii, nos mente: capillo,
Nos animo: facie, nos pectore. Tempora certè
Virtutem non prima negant, non ultima donant.
Quod duplex ætas varios contendat in usus,
Hæc viget, illa jacet, hæc pullulat, illa fatiscit.
Mira quidem dictu, sed vera (advertite) pandam,
Nam vati Phrygio Martem certissimus index
Explicuit præsens ocŭlus! quem fabula nescit.
Hunc ubi combiberit avidæ spes ardua mentis,
Quis superos in vota vocem? mens æmula veri
Proscripsit longè ludentem ficta pöëtam.
Quin te Cetropii mentita licentia pagi
Et lædant figmenta Pater, quo præside floret
Pontia & in priscas respirat libera leges
Felices quos non trahit ambitus, ardua nactus
Non in se descendit honos, non cæca potestas
Quid possit fortuna videt: non perfida sentit
Prosperitas, flevisse humilem, qui ridet in altis.
Parcite, venales quisquis venatur honores:
Unde ruat tabulata struit. Premit ultio noxas
Tunc gravior, cum tarda venit: tunc plena timoris,
Quum terrore caret: blandâ nil sævius irâ,
Quum floret miseri felix injuria voti.
At tu dissimilis longè, cui fronte serena
Sangvinis egregii lucrum, pacemq; litatâ
Emptam animâ Pater ille pius, summumquè cacumen,

In

In curam veniſſe velit, cui cederet ipſe
Prorſus vel proprias lætus ſociaret habenas.
Hactenus hæc, tuq; (ore tuo) da maxime vati
Ire iter incœptum, Troiamq; aperire jacentem.
Te ſacræ aſſument acies, divinaq; bella,
Tunc dignum majore tuba, tunc pectore toto
Nitar, & immenſum mecum ſpargère per orbem,
Luſerat omnificæ quondam ſolertia curæ,
Ignotas molita rates, auriq; cupido
Audendi transgreſſa modum, trans æquora miſit
Qui caperent thalamos, ſpoliarent templa metallis.
Siccine mortalis finem metitur hiatus?
Egeſtæ ſic Ditis opes, quas ambitus audax,
Quas prædo pallens, Stygiis extorquet ab antris
Sufficiunt? cui jam ſatis eſt quòd regna, quod urbes
Ipſaq; quod pateant rapiendis tartara gazis?
Itur in ignotos fluctus, ultroq; procellis
Inſultare juvat, & ſoli vivere fato.
* Æſonides primus undas aſſumpſit in uſus,
Phryxeam rapturus ovem: cui laudis alumnus
Alcides ſocias indulſit in ardua vires.
His Peleus, Thelámonq; duces, his cætera pubes
Emathiæ, caſus pelagi conjurat in omnes.
Pars munita ratem, pars famæ prona petendæ,
Pars mundum viſura novum, gentesq; remotas.
Ergo ſequi docilis quas nondum noverat undas;
Thetyos in gremium migrat præcepta Dianæ

* *Argonautarum ad Colchos profectio.*

Pinus, & è ramis remos habet: inq; profundum
Ornatu contenta rudi plus robore, cultu
Fisa minus, paucis exul peregrinat in armis.
Nondum sæva Deos ponto objectare natantes
Relligio, non fluxa sinu tumuêre recurvo,
Carbasa delicias dat fastiditior usus,
Exornatq; suum novitas operosa periclum,
Prima inopem pirus cultum, quo stabat in Heme
Detulit in fures, autor ratis Argus, & Argo
Navis erat, sed uterq; rudis' nil illa superbè,
Non auro superos læsit, non rupibus aurum.
(fugamq;
Stat dubius novus hospes aquæ, reditumque
Ludentis pelagi miratur, & æquora visu
Metitur, Patriæq; pium consultat amorem,
Virtuti nutu facili cessurus & undis.
Sed rapit aura ratem, quonā? quò naufraga tendis?
Quò populos in fata trahis? te ne angue vel armis
Patrandum fastidit opus? scio tædia tollis,
Delitias lethi quæris, nunc utere saxô
Terra petens, atq; injectæ Symplegadis ictu.
Nulla prius cecidisse refer, ferat ipsa cruentum
Quod peperit fatum, primâq; superbiat ira
Fata obstant, hominum prædatrix Atropos arcet.
Plus superi quàm fata queunt, trabs Thessala divos
Præsentes quos fecit habet, contemptus in antris
Hippotades, in æquis Triton, in carcere Corus,
Hac rate prærepta summos senuisset in annos.
Quip-

Quippe Deum genitore metu mens cæca creavit
Ditem umbris cælo ſuperos, & numina ponto.
Vix pelagi ſensêre minas, jamq; Æole clamant,
Æole, tuq; dato mulces qui cerula ſceptro,
Undarum Neptune potens, date numen ituris,
Si reduces, meritis nomen ſacrabitur aris.
Mox ierant in vota Dei, gaudentq; vocati.
Hic faciles proclinat aquas, hic evocat antro
Qui vela imprægnet zephyrum, qui purget abacta
Nube diem curſu tandem producta ſereno
Labitur in portus Phrygios ratis, improba pubes
Emicat, & vetita certant tellure potiri.
Fama nocens ſubitum Sygea in regna tumultum
Spargit, & inſidias populo regiq; minatur,
Dardana ſi coeant peregrinæ ad littora claſſes.
Plebs excita furit, nec abeſt qui Laomedontem
Intentet Danais, ultrô ni littore cedant.
O ſuperis inviſa manus, ſic pignora cœli
Creſcenteſq; Deos in ſyrtes cogis? an unam
Extimeas gens tanta ratem? ſed cæca quid horres?
Huc hoſpes, non hoſtis adeſt, cui noſtra potenti
Debentur frangenda manu, reverêre tonantem,
Vel ſaltem cognoſce hominem. Si pendimus æquū,
Si rerum juſtis metimur partibus uſum,
Omne homini commune ſolum ſed jura peroſus
Publica ſacrilegis naturam barbarus auſis,
Contrahit, & proprius Phrygiam phariſcat in uſus
O Aſiæ pollentis opes, ô Pergama nulli

Tranquillo cessura Deo, nil dura sororum
Licia, nihil superi peccant, gens incola fatum
Ipsa facit, cœlo Phrygius parçente meretur
Exilium, gladios, incendia: Pellitur Argo,
Armatumq; Jovem mediis exorat in undis,
Ac Danai flagrant animis poscentibus árma
Quô rapit ira sequi, gladioq; ultore pudendam
Excusare fugam, contra, prudentia, turba
Rara comes, raro Phrygiam cum milite pendit.
Excipit ancipites docti tuba Nestoris aures, *
Suspensosq; regit irataq; pectora mulcet.
O qui magnanimo domuistis remige fluctus;
Qui freta, qui ventos primi libastis & astra
Iratum didicistis iter non nota sequuti,
Discite dura pati, sola est quæ conterit hostem
Virtutesq; regit patientia: sola triumphis
Militat innocuis, & honestæ consulit iræ.
Est tempus quando, locus est ubi, lædimur omnes
Lædimur immeriti, patimurq; indigna priores,
Ut causa meliore frui superisq; secundis
Marte dato liceat, non hic injuria nobis,
Sed Danais facta est: veniet qui probra suorum
Ense pio redimat. Sic fatur, & accipit omnes
Delinita Thetys,| gremiumq; exponit ituris.
Jam fluctus emensa vagos, in Phasidis undas
Declinat Pegasæâ ratis; pelagoq; relicto.

* *Nestor sociis.*

Pauperiore sinu, sed liberiore potita,
Multa prius metuenda tulit, dum littore in alto
Discordes agerent undarum prælia motus,
Improbus audaci suspendit gurgite pontum
Phasis, & obnitens castigat in arua ruentem,
Cessuram miseratus humum furit ille, feroxq;
Potandas incestat aquas, bilemq; refundit
In vada blanda suam, dedignaturq; teneri.
Ipsa etiam clavisq; notis, cœloq; sereno,
Continuas hyemes portus angustia volvit.
Nec spacio laxum languet mare, crescit arena
Consumptura rates, tellusq; occulta vadosas
In cumulum suspendit aquas mentita profundum.
Fluctuat ambiguus Tiphys prope littora spectat:
Suspectam formidat humum, discitq; timere
Quo tutum sperabat iter timor elicit artem
Consultura vadum medias minor alnus in undas
Pellitur, & conto metitur judice pontum.
Littoris insidiæ postquam patuére, coacto
Inter utrumq; solum decurrens limite puppis
Arua petita premit, fractasq; offendit arenas.
Quid moror Æsonidæ duras incumbere leges
Oetæ imperio? quid semina iacta? quid hostes
Terrigenas, Martisq; boves, sæviq; draconis
Excubias? ignis virtuti cedit & ensis.
Eripiturq; emptum summo discrimine vellus.
Neptunũ sensisse putes fugientibus æquor
Altius intumuit, fractiq; in littore fluctus

Intonuêre ſimul. Procul ô procul ite prophani,
Non libet in ſanctum cum præda tendere pontum
Has notus aut paſſus cauſas inſtare timoris,
Præripuit voces, nec iter conceſſit in aures.
Navigat auricomo ſpoliatis vellere Colchis
Prædo potens, culpemne ratem quæ prima per undas
Ad facinus molita vias, atq; Atropon auxit?
An cauſa potiore probem? ſine remigis uſu
Non noſſet Memphis Romam, non Indus Hiberum,
Non Scytha Cecropiden, non noſtra Britannia Gallū.
Primus ab excubiis montes Proreta pelaſgos.
Anticipat ſalvere jubens: at cætêra pubes
Remorum aſſurgit ſtudio, victrixq; carina
Theſſalicis reddit quos in freta duxerat arvis,
Quis varios memoret plauſus, quis gaudia vulgi?
Si parcus meminiſſe velim, vel nolle fateri,
Vel ſeriem non noſſe putent ſi prodigus, auris,
Faſtidita neget, facies ad ſingula nutus.
Pelea miratur reducem Lariſſa, Pylonq;
Neſtor habet, Telamone ſuo Salamina ſuperbit
Leda Ceraunieis & fratribus Orithyia
Hyſmariis, laudatq; ſuum Calydonia Mater
Oeniden, nondum tantum ſoror, Orpheatraces,
Archades Admetum, Thalaumq; & Theſea & Idam,
Anthæumq; urbes variæ, ſua mænia quenq;
At Peloponneſum cum præda divite Jaſon

Reditus Jaſonis cum aureo vellere.

Occu-

Occupat, insigni lascivit regia cultu,
Victoriq; suo gratas plebs obvia voces
Elicit, & vero dispensant gaudia vultu.
Solus inexplicita Pelias sub fronte serena
Invidia ægrescit sese causatur, in omnes
Vota Deos consumpta gemit, Martemq; lacessit
Qui gratis domitos tulerit defervere tauros.
Eluctata diu rapidis impulsibus ira
In verbum singultat atrox, quæstusq; superbos.
O superi quò thura meant, ô fata, quis error
Imperat? ô hominum casus, paucosne reservat
Ut multos fortuna premat? jam sentio, traxi
Invito mea regna Deo, cape maxime tandem
Quorum fastidit usus regnare negantem,
Quæ longo emisti voto tumeasq; relictis,
Non raptis, tenui certè non sponte Deorum.
Hisq; velim regnis emptum vicisse tonantem.
Me mage (si qua fides) votorum offensa lacessit.
Quàm sceptri jactura mei volui ne sub Arcton
Proscripsisse virum? regnat fregisse? superbit.
Extinxisse? viget, titulos minuisse? triumphat.
Ergo Deos dico ingratos, da thura tonanti:
Quum dederis, sperata neget, donisq; retentis
Rideat elusum melius fortuna pianda est,
Quæ pacem, quæ fulmen habet, quæ prima tyrannis
Imperium partita tribus concessit, abegit.

Querela Peliæ de reditu Jasonis.

Me-

Mutato lusit cælo, rursusq; jubebit,
Quos fecit reges mecum migrare sub umbras,
Et Jove proscripto Saturni leniat iras.
Sic fatur, diroq; animam depascitur æstu.
Has tamen has cordis rugas, hæc prælia mentis
Frontis oliva domat, faciesq; dolosa sophistam
Mendicat vultum, & blandos peregrinat in usus.
Gaudia prima ducum, solenni menia tumultu
Excipit. At cæli prædo terræq; marisq;
Ambitus, acceptas venatur regibus escas.
Juno lyram volucrum langvescere sentit, alumnos
Aequoris emungi Thetys dolet: aspera Phæbe
Indignata sui numerum rarescere civis,
Excubat, ultoremq; humeris accommodat arcum,
Venantes venata viros, prædamq; petentes
In prædam petit, & lucos vigilantibus ambit.
Ergo thoros conviva premit, donumq; dearum
Interpres blandus hilarat Deus, humida siccis
Mire concilians, comptos discreta clientes
Cura agit: hi cererem cumulant hi fercula mutant,
Illi hilares iterant calices, at rege superbo
Emeritum libante merum mensalibus hærent,
Summissiq; haustum Bacchi regalis adorant.
Has mensæ genialis opes, hæc otia curæ
Dapsilis, hoc grati certatum dulce laboris
Incolumi virtus delibat sobria gustu.

Convivium.

Non

Non ignava gravi peperere oblivia menti,
Deliciæ, non in somnos elanguit ira
Amphitrioniadœ. Troiam bis terq; resumens
Se vultu referat, animumq; his asperat ægrum.
Ergo Jovem meritus cunali Marte parentem
Cælestes docui mecum vagire dracones,
Præveniq; minas? pudet heu vir, victor, adultus
Barbaricis cessi, non viso milite, terris,
Ergo minis frangendus eram? proh fata pudenda,
Proh crimen superumq; fato immanior omni
Nescio quis famæ meritum scidit: arma tenebam
Nec deerant hostes, i nunc, & prisca revolvens
Privignum mirare tuum, Jovis inclyta conjunx.
Vicisti, fateor, fugi, victoria summa
Alciden fugisse fuit, rursus ne severum.
Dignere artificem nostris Eurysteá pænis?
Si Lernam edomui, si Cerberus ore trifauci
In scopulos Dodona tuos aconita refudit:
Si gravis Anthæus, gratam suspensus arenam
Dedidicit mirante Rhea: si cœtera mundi
Monstra triumphali potui consumere dextra,
In Phrygios dicam ne viros? humanaq; bella
Depotuisse pudet, sed cur clarè acta revolvo?
Degeneri gravius succedit gloria facto.
Quin potius feris gladius quid conferat ausis
Monstrorum domitor reminiscere, Pergama pænas
Pendant, & meritis perjuros perde ruinis
Sic Phœbo liquidoq; Jovi ductore triumphum,

Sic

Sic tibi, sic Danais, docilesq; instare Pelasgos,
Non fugisse sciant, qui quum potuêre minari,
Et potuêre pati. Tacitis sic questibus iram
Exacuens, summos animum profudit in ausus.
Haud secùs exilium gratæ dequestus arenæ
Armenti princeps lunatum robur in ornos
Asperat abiectas, & se præmensus in hostem
Otia dura gerit, & prælia pulchra figurat,
Fronte furens, pulsasq; pudet non frangere sylvas
Inde thoro meliore redit, veteremq; repulsam
Excusans, victor regnat, lauroq; superbit.
Vix primos belli motus libraverat heros,
Et jam fama loquax rapiens ex ore potentum
Quod ferat in vulgus, pavidas quod spargat in urbes
Prælia mota canit, illam ne nocentis áverni
Progeniem, cœli nerear? quæ murmura rerum
Occulta extenebrat, redditq; latentia luci.
Immò quis è supera contendat pace creatam
Turbatricem hominum? quæ sancta silentia regum
In mundi perfert aures, & plebis in ora
Dissipat, arcanum curæ furata silentis.
Haud mora non jussi lituis, non ære vocati
Conspirant ad bella viri, sed & arma tumultu
Plebs rapit, & vibrans quos non bene noverat enses
Ingenuè irasci discit, multumq; minatur,
Sed factura parum, terit hic in frena jugales,

Apparatus Herculis ad bellum.

Non

Non longum manſurus eques, rapta ille ſuperbit
Caſſide, & jam acies captas decreſcere viſus.
Hi ſuras riguiſſe ſtupent, hi pondere victi
In clypeos nutant, pars barbara regna laceſſit
Litigiis audax & citra prælia fortis,
Objecto ſecura freto gemit anxia matrum
Turba: nec in fauſtis ſolatia mœſta querelis
Ire negant lachrymæ, lachrymis certatur, & omnem
Exceſſiſſe putat flendi parciſſima luctum
Hæc inter medios enſes timet, illa Charybdim
Incurrit, pietas nunquam ſecura quieſcit.
Mens ô prona virûm, non hæc ſuſpiria virtus
Infracta admittit, non dant cum lexibus artus.
Oſcula non iterant, ne vel ſic bella morentur
Vix memores dixiſſe vale, mulcetur alumnus
Fatorum Alcides, & ſpe meliore ſuperbit
Aſſidet inceptis, fremitu navalia feruent
Ægæoſq; ſinus ter quino remige frangit
Lecta cohors, totidemq; movet per cœrula pinus
At Notus incumbens humeris, puppiq; ſequaci
Ducit in offenſam Simountis in oſtia claſſem.
Puppibus emigrat primus Thelamone ſecunda
Lariſſæ pollentis honos, cui cærula nupſit
Nereis amplexus non aſpernata minores
Mortalemq; thronum, quo principe gloria ſpirat
Myrmidonum, quem tota ſuis obnoxia fatis,

Bellum Herculis & Troianorum.

De-

Dorica castra tonant Danais hic debet Achillem
Ajacem Thelamon, æquale in Pergama fulmen.
Dividit ergo acies æqui libraminis instar
Alcides, pars in Phrygios armata penates
Jam dictos sortita duces, pars cura relictæ
Classis disponit cum Nestore, parsq; sequuta
Amphitriniaden, sociis partitur utrisq;
Excubias hinc inde suas, spe agmine trino
Consulitur bello, patriumq; armaverat orbem
Principis edictum Phrygii, ruit omnis in arma
Barbaries, flammisq; rates consumere fisus,
Et Danaos sparsurus aquis, ad littora Martem
Dux migrare jubet, paretur, & ocyus omnes
Fluctibus insiliunt solitæ nil tale timere
Nereides visa arma stupent, horrentq; tumultum
Hi telis instant, alii face: pectora telum,
Fax puppes injecta petit, cunabula Mavors
Cypridis infestat armis, & lemnius igne.
Tunc primum bellis rubuit mare, sangvinis illas
Murex hausit opes, quas nondum oblitus in annos
Præsentes meminit, regumq; expendit in usum.
Scyllæos nova præda canes ad funera mæsti
Gurgitis invitat coeunt latrantibus undis
Monstra sinus Siculi, dehinc hausto nectare diro
In freta sparguntur similem venantia potum.
At fremitu accepto Nereus excussus ab antris;
Mutatis horrescit aquis; fontiq; relapsus

Na-

Nascentem explorat lunam, visoq; meatu
Quem genitrix natura dedit, securior exit.
Immò agitè, immisso bellum consumite ponto,
Dii si qui undarum: raptæq; Athlante repulso
Evoluantur aquæ, fatis injùria prima
Excusanda fuit, an & hos impunè furores
Ferre juvat? misero completus sangvine pontus
Spumat, & incensum fumat mare, Scylla Charybdim
Excitat, & nostris pingvescunt monstra ruinis.
Si neutros superesse ratum, si judice pœna
Elicitis pœnas, Phrygios perjuria mergent,
Exemplum sceleris Danaos quæ jam mora segnes
Pronius in facinus tardis ultoribus itur.
Ardua jam trepidis murorum septa catervis
Iliacæ traxêre manus, stat Dardana pubes
Pro jugulis armata suis: nec enim invida regni
Ambitio ludit pugnas, sed & ira, minæq;
Et non extorti per vulnera cruda furores
Bella cient, hinc inde odiis flammata superbis.
Primus in adversos vibrata cuspide muros
Torquet equum Peleus, fractaq; accenditur hasta.
Hæc (ait) hospitiis aditus, & inhospita tecta
Pulsanti referenda manu, nos urbe fruamur,
Portu alii: dixit, cunctisq; instare Pelasgi
Ceu belli tunc causa recens, nec tempore longo
Ira minor, minus accendant in prælia mentes
Jussa, tubæ, promissa, preces: asperrima cernas
Bella geri: non præcipites telluris hiatus,

Non undas timuêre viri: sibi quisq; videri
Dux aliis, milesq; sibi, pars cratibus instat
Continuas molita vias, vallemq; profundam
Molibus injectis vincunt: pars aspera clivi
Impatiens hæsisse subit: jam copia muri,
Jam silices laxare licet, sed desuper urgent.
Dardanidæ, incussasq; trabes, & saxea voluunt
Fragmina pars jaculis audax, pars aspera flammis
Flagrantes immergit aquas, septum arbore Dymus
Affectabat iter, fixoq; in mœnia vultu
Hæserat, hunc latices decalvavêre profusi,
Flumineiq; imbres, nudum spoliatur utroq;
Crine caput penetratq; fluens in viscera vulnus.
At testudineo Telamon defensus amictu
Occultum furatur iter, silicumq; tenorem,
Ære domat, jamq; in præceps pendente ruina
Cedit, & effracta tandem prior urbe petitur.
Interea flammas populari vela parantem
Percellit vox dira ducem. Cui strenue ductor
Dardanidûm, cui bella geris? civesne perosus
Monstripari pacem pelagi sancire laboras?
An pavidis profugisq; instas; & ne qua superstes
Sit fuga, consumis classes? propioribus ausis
Intendêre manus hostes, huc flumina flecte,
Atq; urbem miserere tuam, vix credulus hæret
Lamedon, cernitq; tamen jam pergama rumpi,
Stare hostes, nutare Phryges: rapit ocyus agmen
Attonitum belliq; rudis non colligit alas,

Sed

Sed ſparſis properat ſignis, quem præpete gaudens
Excipit occurſu Tirinthius: hiſq; ait, olim
Quum premerent portus optataq; littora feſſi,
Exilem telluris opem tenuemq; negaſti
Sæve moram, ſpræâ pacis dum fronde Minervâ,
Sume vices, rediit hoſtis, qui venerat hoſpes.
Sic fatur, ſtrictoq; ducem tranſverberat enſe:
Thoracisq; moras, clypeiq; umbramina raptim
Diſſipat, atq; animam tot defenſoribus uſam
Elicit, & Stygios jubet irrupiſſe penates.
Fit fuga Dardanidum mactato principe, at hoſtis
Civiles prædatur opes, pars cædibus iras
Innumeris explere ſitit, vox regia tandem
Caſtigat rapidos Danao graſſante tumultus.
  Parcite victores Danai, compeſcite dextras,
Labe pari peccat, pariter crudelis uterq;
Qui cunctis, & nulli, nobilis iræ eſt
Citra iram punire reos, jam copia regni,
Urbs cecidit, ceſſit hoſtis, cæſosq; tyranno
Ut miſeris faciles Grajorum exempla ſecuti
Eſſe Phryges diſcant, damus ultrô rura colono,
Caſtra viris, pontum nautis, & civibus urbem,
At pereat dira ſi quis de ſtirpe ſuperſtes,
Hanc quoniam delere juvat. Sic fatur & ecce
Amphitus, Hyſiphilus, Volcontus, & inclyta vultu
Heſione, ſævis vincti poſt terga catenis,

Laomedontis cædes.

Traduntur ducibus, hi dira in funera rapti,
Hæc Telamon tibi præda datur, quòd Pergama victor
Quòd prior effractis facilem das hostibus urbem.
Ilicet Argolici præda Hesioneq; potiti
Incumbunt pelago, laurumq; insigne triumphi
Puppibus exponunt, penetrantq; ad sydera plausu.
His aberat Priamus, aliam servatus in iram
Fatorum, casusq; alios: cui Marte secundo
Eoos populata Phryges victoria læta
Faverat, & reduci comites plausére triumphi
Dura hominū Lachesis, sors perfida, luditur anceps
Imperium, Priamus natales ampliat agros,
Troia ruit: sceptroq; novus dum quæritur orbis,
Sceptri nutat honos, faustos in regna meatus
Fata dabunt reduci: sed dira, sed aspera donis
Invidit fortuna suis, quæ quum ardua donet,
Gustatos graviore favos ulciscitur ira,
Jamq; urbis trepido conspectum pectore ductor
Hauserat, occurrit luctus, visumq; salutat
E muris manuum plausus, lacbrymabilis, horror
Aggreditur, turbatq; ducem, totamq; perrerat
Infelix planctus aciem, stant undiq; cives.
Solanturq; suam Priamo spirante ruinam.
Ille autem licet interno complura dolore
Corda gemant, vultu lachrymas castigat adultas,
Ut saltem speret ducis ad solatia vulgus.
Nam summè miser est, cui nec sperare relictum est.
Nec mora, diffusam spatiis majoribus urbem
Inte-

Integrat, ac potior constructio barbara Græcam
Excludit Nemesim, medicati vulnera muri
Respirant meliore manu, contemptaq; moles
In sævum patuisse aditum: & quâ saxa recedunt,
Continuant valvæ duplices, hæc cardine laxo
Alternos pandit aditus, hæc robur acernum
Pectine ferrato tacitos suspendit in usus.
Jamq; arces cecidisse juvat, jam machina major
Et lucro jactura fuit, muralia primas
Propulsura manus, pinnarum culmine denso
Conspicuos tollunt apices, nec mœnia munit
Rarior excubias turris factura secundas.
Celsior in superas contendens vertice nubes
Ilios, æquaret gemini discrimina mundi,
Si spatio contenta suo, minus improba cælo
Parceret, atq; alium jam non præsumeret orbem.
Si Phlegram conferre velis, si virginis arces
Assyriæ, feret hæc potius discrimina lingvæ.
Tela Jovis, nulli spaciosior æthere tractus
Contigit, aut tantum patiens indulsit Olympus,
Penè pares totam turres sparguntur in urbem
Cyclopum fasse studium, civisq; superbus
Celsa petens, fastidit humum: surgentia passim
Exhalant piceas incensa pyralia flammas.
Ingenti Ucalegon consumens aera tecto
Arduus alta petit, Anthenor mœnibus æquis

Troiæ descriptio.

Certat: at inconſtans, nec major, nec minor, ægris
Anchiſes parcit pedibus, greſſumq; peroſus
E ſpeculis videt orbis opes, plauſusq; viarum.
Haud procul incumbens urbi mediantibus aruis
Idæus conſurgit apex, vetus incola montis
Sylva viret, vernat abies procera, cupreſſus
Flebilis, interpres laurus, vaga pinus, oliva
Concilians, cornus venatrix, fraxinus audax,
Stat comitis patiens ulmus, nunquamq; ſeneſcens
Cantatrix buxus: paulò proclivius arvum
Ebria vitis habet, & dedignata latêre
Canoclam poſcit Phæbum, vicinus ariſtas
Prægnantes fæcundat ager, nec plura Phalernus
Vina bibit, non tot paſcit Campania meſſes.
Proxima rura rigant, alio peregrinat ab orbe.
Viſurus Troiam Simois, longoq; meatu
Emeruiſſe velit, ut per tot regna, tot urbes,
Exeat æquoreas tandem Troianus in undas.
Dumq; indefeſſo miratur Pergama viſu
Lapſurum ſuſpendit iter, fluviumq; moratur
Tardior, & totam complecti deſtinat urbem.
Suſpenſis infenſus aquis violentior inſtat.
Nereus, atq; amnem cogens procul ire minorem
Proximus accedit urbi, contendere credas
Quis propior: ſic alternis concurritur undis,
Sic crebras iterant voces, ſic jurgia miſcent.
Undiq; ſiderei majeſtas conflua mundi
Iliacum dignata ſolum, juga, mœnia, pontum
Veſtit.

Vestit, & astrifero dat respiramina collo.
Idæos Cybele colles colit, ipsa superbis
Regnatura jugis, reliquos tibi Delia saltus
Donat & Idæis pensat venatibus orbem,
Pampineum te Bacche nemus, te spicea cingit
Sylva Ceres Neptunus aquas, navalia Phæbus,
Arces Pallas habet, & habetur Pallade fatum.
Est sacer urbe locus media, modicumq; laborat
In cumulum Pygmæus apex, quem surgere plenè,
Quem planè residere neges, hic celsâ superbi
Fulgurat ara Jovis, non sceptro & fulmine nudi,
Non qualem Tyrius, non qualem prædicat Indus.

DARETIS PHRYGII LIBRI PRIMI
FINIS.

HYPOTHESIS LIBRI SECUNDI.

Mittitur à Priamo legatio sancta secundò
Ad proceres Danaûm; repetant qui pace sororem
Hesionam, magna vi nuper ab Hercule raptam.
Judicium Paridis sequitur, quo judice disces,
An venus, an Juno, vicitne decore Minerva.

DARETIS PHRYGII
De Excidio Troiano
LIBER SECUNDUS.

JAm floret Priamus populoso pignore felix;
Felix conjugio, felix natalibus armis,
Si superi, si fata sinant, si stare beatis
Permissum videt Alecto quas fregerat arces
Fortuna meliore frui: videt, ardet, & hydris
Irascens circumq; genas & tempora crebris,
Me ne, inquit, reginam Herebi, mundiq; potentem,
Atq; utinam cæli, regnum mortale lacesset
Æternum? pudet heu, lascivit terra superstes
Post Danaos quibus usa fui, nostris ne triumphis
Contendit, vinciq; negat, ruat ocyus ergo
A cunis concessa mihi. Sic quæsta, quietem
Invidet exiguam Priamo raptumq; sororis,
Servilemq; colum, & lachrymas objectat inultas.
O hominum superumq; Pater, si numina curas,
Cur hominem plectis? miseræ ne quòd incola terræ
Despicitur? certè lachrymis noctiq; dedisti
Proscriptas à luce animas, Pater optime tandem
Flectere, redde polo reduces, vel funera saltem
Exilii tutare tui Cur impia sevit
Alecto in miseros? cur Pergama dia fatigat
Tot superis confisa suis? tolle inclyta, tolle
Virgo moras, nec passa premi quas incolis arces
Gor-

Gorgone prætenta, Stygias perſtringe Meduſas,
En aras, en thura ſibi communia poſcunt
Nutrices ſcelerum Furiæ: noctiſq; tyrannos
Exorare jubent, cœlum inter mœnia clauſum,
Concives habuiſſe Deos, hem, inquet inultum
Tiſiphone: regiq; ſuo cultore negato
Quam dedit invidiam Phrygius luet. Ecce profundis
Curarum furiis, vigiliq; impulſa dolore
Mens Priamum in diverſa trahit, nec Marte repoſcit
Heſionem, nunc bella timet? ſententia tandem
Fortior, inniti precibus, tentare Pelaſgos
Blanditiis, voce hac legatum Anthenora demum
Inſtruit, & parvo claudit mandata libello.

Hactenus invicti gens imperioſa Pelaſgi,
Libertas Aſiæ nullis concuſſa vigebat
Caſibus, invidit ſolitum fortuna favorem,
Et rerum decrevit apex verùm Herculé vinci
Turpe minus, tantoq; leves authore ruinæ.
Nunc quia conciliat humiles favor, exuo regem,
Jn miſeras deſcendo preces, ſic India Bacchum,
Sic Cyrum Cræſus, Thamirim ſic Cyre rogabas.
At ſi Parca prior quâ cœperat ire mearet,
Ipſe orandus eram, geminumq; impenſus in uſum
Aut pacem regerem judex, aut prælia princeps.
Proh ſuperi, quæ dira orbem deludit Erynnis?
Exieram miles, tractabam prælia ductor,

Priami epiſtola ad Græcos.

Victor eram: sed quid Eoo blanda triumpho,
Si mœstos læto reditus fortuna parabas?
Hæccine post tantos mihi debita pompa labores?
Sic me tibi Troia dari, quæ læta parabas.
Quum redii? sæva illa dies semperq; gemenda,
Quâ reduci primùm patriæ mœstissima clades
Visa audita simul, melius quem fecimus hostis,
Aut cui factus eram, vitam hanc tot tristia passam
Rupisset gladio, sceptro ne & culmine regni
Dulce frui? sic sic fratrum patrisq; perempti,
Sic raptæ memor Hesiones? miserescite magni
Mirmidonum proceres cæsum lugere parentem
Exhaustam vidisse domum lapsosq; penates,
Sic satis: Hesionem lacrymis solatia tantis
Reddite, parva quidem posco, sed muneris instar
Majoris, vitæ pariter, pariterq; saluti
Exanimem dabitis. Sic postquam questus, & ipsi,
Et cui charta datur, tepidus fluit humor in ora.
Anthenor zephyris blandum splendentibus æquor
Haurit iter: rapiensq; ducis mandata per undas
Magnesii fines, Sparten prætervolat altam,
Fatididemq; Pylon, paucis ubi tracta diebus
Otia dequestus cedit: non Pelea magnum,
Tyndaridæs geminos, Pyliam flexêre senectam
Verba ducis, læti tandem Telamonis ad urbem
Flectit iter. Lachesisq; fugam vestigat in omnes.

Hesiones & Telamonis nuptiæ.

Re-

Regia celſa nitet, complutaq; murice multo
Purpura Sydonios diſpergit in atria luxus,
Solennem confeſſi diem, quâ jungit herilem
Juno thorum, læto cuncti connubia plauſu
Concelebrant, populoq; ſuo certamina prima
Ventripotens ponit genius, cœnare decorum,
Et menſas variare juvat: nec pocula deſunt
Fœcundam factura ſitim, repetiſſe voluptas,
Et vires conferre libet, civiliter ipſi
Indulgent proceres, cyathis, bibuliq; clientes
Heus Hymenæe ſonant, & in aurea pocula fuſi;
Invitant ſeſe pateris plebs mixta Britannis
Certatura ſiti longiq; potentior hauſtus
Plebejos gaudent calices & ſobria vina
Regali mutaſſe mero, redimitq; voluptas
Rara moras, nec ceſſat hians, dum pectore victo
Lingva fluat, creſcant lychni, veſtigia nutent.
Cœtera multiplici laſcivit curia plauſu,
Pars ſyrtis, pars grata lyris, pars ore canoro
Nativas oſtentat opes, contentaq; nervis
Arteriæ non artis opem, non carmina nervi
Ad vocis mendicat opus; ſe quælibet ornat
Muſa libens, quæ voce placet, quæ dote ſuperbit.
Non tamen indulgent ſtudiis communibus omnes.
Ætatum parium ſimilis concordia: narrat
Cum ſene canities, ludit cum pube juventus,
At moduli alternat libamina prima choraules
Prævius, & dociles hoc explicat ore choreas:

Plau-

Plaudite concives, Salaminæ ditis alumni
Plaudite: victori nubit Priameia noſtro
Heſione, clamant unà feliciter omnes:
Congeminantq; iterum feliciter. Ille canoros
Concilians in plectra modos, his exit in aures:
Quid gentis Danaæ proavos, quid priſca ſtupemus
Prælia? miremur potius quem protulit ætas.
Qua fruimur, rerum Patrem, mundiq; patronum
Amphitrioniadem, axis quem laudat uterq;:
Cujus opem ſævos debellatura Gigantes
Aſtra petunt, geminoq; armari fulmine poſcunt.
Hunc non Juno ferox, non accuſator iniquus
Non labor exhauſit, redolent cunabula primum
Vix ortæ virtutis opus. Nemeæus adultos
Expavit terror humeros. Erymanthus abacto
Reſpiravit apro, victricis victima clavæ
Abſolvit Creten taurus, dux flebat Hiberus
Damantis quas Cacus opes abſconderat antris.
Non angues Lernæ reduces, non Cerberus ingens,
Non Lapithæ domuêre virum, vigilata draconi
Poma tulit, peſtem Lybicam libravit in auras.
Edocuitq; hoſtem nocituris artibus aſtra,
Qui quondam geometer erat, Achelous in armis
Neſſus in effugio nimis effugiſſe queruntur.
Othriſios mactavit equos, revocavit ab armis
Hyppoliten, domuitq; fero Stymphalidas arcu

Herculis laus.

Nec

Nec solùm tibi se tellus, sed sidera debent.
Vector eras, & vector eris, da maximè felix
Auspicium, lætum tribuas nubentibus omen,
Et prosit cecinisse tibi, si jusseris, ibunt
Monstra procul, ridebit Hymen, vinoq; favebit,
Jam tua sic Hebe pariat Saturnia cælo,
Et nostro nova nupta duci. Plaudentia rursus
Tecta sonant, festoq; favet plebs læta tumultu,
Sola tamen tristi turbat convivia luctu
Hesione, spernit plausus, oditq; faventes,
Nil titulis permota suis, non dote superba,
Non cultus mirata novos, sibi capta videri,
Mœsta queri, & quotiens sibi plaudit regia, nomen
Reginæ captiva pavet, nec libera fidit,
Sed jussa in thalamos timidè ventura coactos.
Cumq; alii modulentūr aves, quæ conjuga fata
Exhilarat meliore lyra, sibi credula fingit
Nocti vagas ululasse striges, bubone sinistro
Tecta premi, Stygioq; satas Acheronte sorores
Funestas gessisse faces, heu cæca futuri,
Quàm sævum Patris paritura nepotibus hostem.
Quin etiam oblatos calices, oblata recusat
Cymbia: nunc tacito perfundit pocula luctu,
Et lachrymas bibit ipsa suas, segniq; morantes
Crescentesq; cibos gustu jejuna fatigat.
Tristior interea Phrygius delabitur hospes
In portus Salamina tuos, ramoq; verendus
Palladio, celsas subit arces, cœtera nosse

Cu-

Curia cunctatur, concivem ſola Phrygemq;
Agnoſcit nova nupta virum, pudibundaq; vultum
Flectit, & orantem miratur talibus illum:
Inclyta ſceptrigeri proles Jovis, & minus uno
In natum perducte gradu, reverende Pelaſgis
Juſtitiâ, belloq; potens, tibi ſupplicat omnis
Cum duce Troia ſuo Telamon miſereſcite cives,
Tuq; prior: non tot terraq; mariq; labores
Incaſſum fluxiſſe ſinas, poſt aſpera multa
Huc tandem huc veni, cerno quam quærere juſſus
Heſionem, cerno: non hæc commercia certè
Juno probat: victore ſuo captiva fruetur,
Flens hilari, famulans domino, vel barbara Græco,
Redde magis, tot veſtra nurus Europa ſuperbas,
Tot celebres habet illa faces: melioribus ortam
Quære altam fatis: hæc edita ſidere diro
In raptus damnata fuit, faciliſq; vel omni
Præda venit, ſemperq; ſuis rapienda minatur.
Noverat Argolicas Alcides, noverat alter
Cum polluce error, novit cum Neſtore Peleus,
Quum levis aſcenſu facili tibi præda daretur
Heſione, meq; haud fines truſiſſet in iſtos
Infelix Priamus, ſi quid de gente ſuperſtes
Cognatâ, patriæ penſaret damna ruinæ,
Hanc tibi, non ſuperis, animam debere fatetur
Quam ſibi ſervatam gaudet, non ſibi, ſed Telamoni

Anthenoris Oratio.

Dic

Dic potius subicit Telamon, invitaq; flentis
Oscula prædatur, & in hos ait ire lacertos
Emerui gladio. Sic interfatur & illud
Dircæum memorat, Teneo longumq; tenebo.
Pulsꝰ abit Phrygiꝰ relegēsq; quod hauserat æquor
In patrios delatus agros, iter explicat omne
Civibus: Hesiones thalamos, & nulla Pelasgos
Jura sequi bellumq; hortatur. Ac æger iniqua
Suspicione Paris, ne credite, ludimur (inquit)
Dardanidæ, miror hilarem, sibi commodus uni
Non sperata refert, non quod commune decorum,
Molitus speciale bonum, malè publica curat
Qui sua pluris habet: gelidoq; haud utitur ense
Saucia proximitas, mihi classem ac vela parate,
Ibo, ibo, non me pavidus quas objicit Hector
Terruerint Syrtes, non arma adversa vel hostes,
Non aditus in regna graves: mihi numen ab alto
Indulget, dictatq; vias, spemq; addit ituro,
Mira quidem, sed vera (duces advertite) pandam.
Desertura virum flebat Pallantias ortum
Processisse diem, sed jam maturior æstus
Solverat algentes lachrymas, me dulce trahebat
Certamen nemorum, populari lustra, fugaces
Indagare feras, faciliq; instare molosso.
Ocyus exciti qui casse, vel ore, vel aure,
Fraude, sono, sensu, ludentes prælia casse
Fallunt, ore cient, me nutu numinis error

De

Devius in ſpatium ſeductius in nemus altum
Egit, venariq; dedit ſecreta dearum.
Idæi regina ſinus digniſſima Phœbo
Laurus in offenſo frondoſum vertice crinem
Explicat, & nemoris proſcripta plebe minoris
Sola viret, nulliq; ſuás communicat umbras.
Cœtera Cyrrheam veneratur ſylva juventam
Celſum ſubmittens apicem, longeq; reducta
Majorem temerè poſcentes àéra frondes
Caſtigat, metuitq; ſacris occurrere ramis
Huc Deus aut caſus, certè graviſſimus error,
Pertulit ereptum ſociis, hac lætus in umbra
Mirabar laurum vivacis lege juventæ
Nil Jove mutato paſſam, mirabar & Eurum
Murmure adulantem foliis, & frondibus auram
Secretum ſpirare ſuum, quum languida ſenſim
Fur oculi ſomnus invitans otia, blandum
Pectoris eluſit ſtudium, curasq; fefellit.
Sic caput herboſo projectum ceſpite fultus,
Delicias hauſi superûm: nec frivola ſvetus
In plebem luſiſſe ſopor, ſed ſomnia regum
Dignatus ſubiit, magni nox nupta tonantis.
Et Venus, & Pallas, ſeſe langventibus ultro
Ingeſſere oculis, quarum quæ maxima, fando
Vix bene maturam viſa eſt ſoluiſſe quietem.

Certamen dearum de præjudicio fortunæ.

Veni-

* Venimus in ſaltus Phrygios ô Dardane, venit
Magni nupta Jovis, venit Mavortia Pallas.
Venit blanda Venus, grætare, en noſter alumnus
Quod dare Parca neget, timeat promittere votum,
Sidereæ libram formæ dedit ipſa tonantis
Unica, quæ trini diſpenſo fœdera regni,
Cui parent undæ Neptuni, tartara Ditis,
Aſtra Jovis, non ſi laudor cenſore caduco,
Indignor, non grata minus reditura tonanti
Si noſtro dubius hæſit mortalis in ore.
Quod longum eſt mirantis erit, neu fortè putetur
Mendax, quem debet famulatrix fama favorem,
Quod rarum ſuperis, nudos en aſpice vultus:
Talis in amplexus venio Jovis, ergo quis auſus
Pallada Gorgoneam bellatricemq; Meduſam
His conferre genis? non ſic pudor exulat omnis,
Ut populi terror, vulgi fuga, bajula lethi.
Quod terret, placuiſſe velit, vis dira doceri,
Diva tamen dictura fui, non hic opus enſe,
Angues tolle tuos, armatos exue vultus,
Da facilem viſu faciem, frontem exere, cedat
Caſſis. & incluſum ſine reſpirare Ceraſten:
Detege quod galea horrendũ, quod parma pudendũ
Occulit, atq; aude præconia vera mereri.
Hicne nitor chalybis, hoc aurum hoſtile, decoris
Extorquebit opem? neſcis ſæviſſima, neſcis.

* *Oratio Junonis.*

In chalybe horror ineſt, in caſſide fulgurat aurum.
In capulo crudeſcit ebur, ſic docta minaces
Delicias adfert, & vult placuiſſe Minerva.
Tunc Jovem mentita patrem? qua pellice noſtra
In luctus audente ſuos? Sed matre carere
Creditur, ô superûm pudor, hæcne animoſa ſuperbis
Solius meminiſſe viri? diciq; virago
Emeruit? certè ſuperos inviſa fatigat,
Mortales conſumit. At eſt Mavortia, dicunt.
Ergo mares vorat. At Pallas, ſit: ſed quia pallet
Vel quia Pallanti jugulum ſcidit: hinc color, inde
Dextra nocens nomen alterno jure meretur.
Tuq; ſed ô facinus, tu ne, inquam, prodiga ſexus
Fœmina plus quàm jura ſinant, & mollior æquo,
Tunc ergo Venus auſa venis in præmia formæ?
An neſcis cui jura petis communia? ſed quis
Credet? tot Juno ſimiles habet, unica quondam
Et nullis æquanda ſui, quum provida mundum
Digereret natura ſuum, ſine conjuge conjux
Stabat & in florem cultu creſcente ſeverum
Stabat adhuc, cùm ſic mater natura, quid hæres
Cœli hæres? quid poſcis habes, hæc ſangvine juncta,
Junctior amplexu: ſoror eſt, conjunx erit, una
E numero ſelecta tibi, una, ſed unica, cujus
Nec ſimilem memoret tellus, nec ſidera norint.
Abiq; pari parit illa tibi, ſic fata negantem
In fratris cupidi dedit oſcula, conſcius ille
Optati ſceptrum tribuit commune ſorori

Ergo

Ergo eat, & vultus nostros Erycina lacessat.
Nuptum ivi selecta Jovi: sed fallitur, isset
Diva Paphi potius: quoniam ortus nacta serenos
Concrevit spumante freto, cæsisq; pudendis
Hæc patrem factura Jovem, tibi bellice Mavors
Et populo pareret: hac anceps ætheris hæres
Aurea degeneri violaret regna metallo.
Quiq; nec indicio Phœbi, nec vindice textu
Securam potuit noctemq; fidemq; mereri
Lemnius, ultum iret alieni probra pudoris
Lemnius, & proprios non suspiraret amores.
Ut Phrygium sileam, quis vulgatissima nescit
Furta deæ? sed blanda, sed alma, sed aurea nectit
Blanda dolos, alit alma malum, petit aurea donum.
Olim (nam memini] certandi sola potestas
Cum Jove nostra fuit, ubi tunc Venus? illa ne venit
Tertia? ubi Pallas? an quarta jussa veniret?
Tiresia certè steterat sub judice Juno.
Sed taceo, tu Phryx potior, cuidisce mereri
Junonem, quæ sceptra ferat, quæ commodet aurum
Tot mundus miratur opes, tot regna cometæ
Dispensant: quæ scepetra velis, quas elige terras
Quidquid agas quacunq; fluat sententia, nosti
Junonem placuisse Jovi. Justissime judex
Censorem ne sperne Jovem. Sic alta profando,
Reginæ multum meminit, vultumq; superbum
Vocibus ingessit, contempta fronte precantis.
Prodit in aspectum Pallas, fandiq; secundas

Nacta vices, propriæ fidens & conſcia cauſæ
Irriguo ſacras haurit de pectore voces. (tis
* Magna parens ſuperū, nec enim nego magna tonā-
Nupta, nec invideo: meritū Phryx inclyte noſtra;
Si quod erat, carpit, teſtor freta, teſtor olympum,
Teſtor humum, non armatus in prælia lingvæ
Credideram veniſſe deas: hac parte loquacem
Erubeo ſexum, minus hic quàm fœmina poſſum.
Martem alium didici, victoria fœda, ubi vinctus
Plus laudis victore feret, noſtriſq; triumphis
Hic haud notus honos ſed quo regina decoro,
Effatu tendit? dea ſit cedo, immo dearum
Maxima: non dextræ ſortiri ſceptra potentis,
Partirive Jovem certatim venimus: illa,
Illa habeat quæ ſe oſtentat, nos gloria ſaltem
Quum titulis opūs eſt, ornat minor, & quia cogor
In laudes ire, haud omni ſine dote Minerva,
Si gena. ſi generis autor, ſi deniq; mores
Quærendi, in cunis regnat pudor, à Jove ſangvis,
Cenſori facies oculo patet, hæccine forma,
Hoc genus, hic mentis cultus? ſi conjuga divo
Gaudia, nuptarum dotes, & pignora jactant:
Virginitas me ſola juvat, nil paſſa pudendum
Non læſura thoros, non deprenſura maritos.
Macte Paris, mea bella viri, mea penſa puellæ,
Et mea lauri geri meditantur carmina vates:

Oratio Palladis.

Sic

Sic populis utrisq; fruor, sic grata per omnes.
Sed quid ego hæc? quid ad hæc subnectere plura
laborem?
Moribus indignum, fateor, studiisq; pudicis,
Ostentare suum: propriæ nam venditor artis
Detitulat titulos, quos ingerit, at quia præsens
Viribus & vitiis armatur causa, Minervam
Accipe plus tacitè meritam, quàm voce loquutam.
Quum vetus efflueret in regnum mobile mundo,
Terrarumq; notas ultrix detergeret unda,
Emersit cum sole fides, mox cœtera dudum
Nacta fugam virtus terris offensa prophanis,
Jam mundo meliore redit, prudentia nunquam
Velox, indulgens pietas, patientia victrix,
Strenua simplicitas, hilaris pudor, ardor agendi
Sobrius, & nullo nutans constantia casu,
Non vaga pax aderat, rerum concordia custos,
Justitiæ rectiq; tenor, sine indice stabant
Visuræ populos & Deucaliona sorores,
Poscebantq; ducem: nec enim secura meandi
Copia, nec prorsus furiis in tartara pulsis
Cessavêre metus, tandem genitura Minervam
Contremuit frons celsa Jovis, totusq; rotatus
Intonuit majore polus, nec gratior unquam
Lux superis, hoc patre fluens, hoc edita partu
Divum pandit iter, diras, & monstra relegat
Virtutum custos, virtutum prævia Pallas.
Hæc illa est quam Juno notat, quã Dardane cernis.

Marte Minerva potens hæc cujus dextra minacem
Exhausit Phlegram, vidi, dicamne? sed omnes
Novimus. Enceladi consumpsit flamma cyclopes,
Centimanus pharetras centum. Niobesq; sagittas
Sprevit, anhelanti jam major Marte Typhöeus
Cœlum poscebat, ubi nunc Mâvortia Juno
Juvisset numero saltem, propiorq; stetisset
Pro sceptris armata suis? jam penè supernos
Persephone thalamos. Ditem complexa tenebat:
Quum tandem exiliens trepidis Saturnia stratis,
Exclamat Pallas, Pallas, proh fata, moraris?
Pellimur, accessi, sensit valuisse Medusam
Gorgoneamq; deam, sensit quod fulgurat aurum
Plus splendore potens, cùm cœlum, sceptra penates
Reddidimus trepidæ, sit nunc ingrata, sit hostis:
Nostrum est quod regnat, nostrũ quodcũ Jove somno
Securo fruitur, at curam imbellis Olympi
Quum subij, tunc diva fui, tunc dicta virago.
Vos superi testor, quantis sudaverit ausis
Hoc caput, hoc pectus nostrum (ac ostendit utrũq;
Cœlum suspiciens) pudor hic, hic Cassidis horror
Et parmæ quam Juno notat. genuitne cerastas;
Juppiter advertat cujus convitia tractat
Diva memor, parcatq; suis, parit illa potentem
Vulcanum, pariatq; velim, non quòd pede molli
Militat invideo, nectue quòd arte catenas.
Sic fatur, Veneremq; obliquo figit ocello,
Atq; iterat. Res ô vatum dignissima risu,

En generat voces, evolvit nomina, nugas
Pieridum, & noſtras dignatur noſcere frondes.
Sed malè vel didicit, meminit vel millius æquo:
Vera voce fluit à Polleo, Pallas, & alti
Splendorem meriti vix gloria nominis æquat.
Macte Paris, quid enim numerandis improba veris
Effluo, & in titulos ſuſpiro prodiga? læſi
Fortè Deos, exempla ſequor, veniamq; coactus
Error habet, noſti Junonem indigna locutam
Sed taceo, prompſi (fateor doleoq;) ſuperba,
Vera tamen, ſed molle decus formæq; triumphum
Non hac mente peto, viles ut ſolvat in uſus
Vulgareſq; jocos, hac fronte, hoc oris honore
Venatrix hominum vernet Venus ô fuga morum,
Diis utinam libranda forem. Nunc Cypris in omnes
Bella ciet ritrix placet, mundumq; ſuperbit
Imperiis ceſſiſſe ſuis, heu rara ſecuris
Aurea, rarus amor morum, quippe ardua frangit
Virus dulce, piæ ſyrtes, amentia ſupplex,
Molle malum, morbus hilaris, ſic vendicat orbem
Exitium venale Venus, ſic exit in omnes
Teligerum complexa ſuum: exemplumq; datura,
Vulcano Martiq; parit. moderatior olim
Mortali contenta jugo non aſtra coegit
In numerum laqueumq; ſuum, non fulmine blando
Fulminis autorem fregit, non Cynthius ignes
Majores miratus erat, non cura tridentis
In mediis feruebat aquis, ſed nomine vero

Bacchus liber erat. pudet, Ægæonis alumna
Sera ultrix ſuperos vexat, cœlumq; repoſcit
Cum patrio projecta gelu, cumq; exule mentis
Erubeo ulteriora loqui me ſtrenua certè
Omnipotensq; Venus tentabat flectere, ceſſit,
Senſi etenim, mecumq; utinam deprenderet orbis
Quàm fallax & blanda venit, nil hoſte polito
Sævius, omnifico vultu mentita favorem
Amplexum in luctus ſolvit, defœderat urbes,
Arces frangit, & in ſubitum rapit omnia Martem.
Quum ventum in cædes, cedit: quum prælia fervēt,
Frigeſcit, tunc arma juvant, tunc Pallas in uſu,
Et venus in probris commercia turpia, molles
Exacuit, duros emaſculat, & rapit orbem
In prædam cui præda venit, ſic mutuus error
Invenit alterni ſolatia digna pudoris.
Non cogo in certos numeroſum Prothea vultus,
Non Venerem ſemper variam moreſq; pererro
Implicitos, ſatis eſt aliquo ſi cognita caſu
Non trahat incautum prorſus, ſed voce monentis,
Exemplum cui mundus erit, quis dicat egere?
Maxime Priamidûm, noſtra eſt ſi gloria quicquid
Mars audet, quod Clio docet, quod certat Arachne
Si tibi mixta manus & partitura Minervam.
Si tutoris egent arces, & in arce triumphat
Palladium, formæ titulum ſi virgo meretur,
Annue, & Iliacum Judex ne deſpice fatum.
Deſierat, vultuq; animum vocemq; ſequuto

In gi-

In girum flectens aciem, ſedet. Emicat axe
Idalio provecta Venus, tandemq; profatur
Mæſta parum, ſed blanda oculis, & fronte ſerena.
* Heu quibus exilium populis poſitura relinquas
Libera Saturni proles? cui grata vel æqua,
Si ſuperis inviſa vagor ſi transfuga cœli
Fata ſequor? vos, ô ſpirat quibus orbe ſecundo
Indefeſſa fides, qui non liveſcere certum eſt,
Si pia, ſi facilis, ſi nulli dura Dione,
Pendite quis cauſam caſus premat, unde tumultus.
Unde minæ? cum prima meos lux extulit ortus,
Fovi hominem, duros tenerè ſolata labores,
Et caſus miſerata graves: ſic publica grati
Templa mihi ſtruxêre viri, ſic thura merebar.
Hinc iræ, hinc odii cauſæ, miſereſcite ſaltem
Vos quibus exul agor, cœli rea deprecor orbem
Quem colui, veſtram populi defendite civem,
Flos juvenum, ſpes noſtra paris, non vexo locutas,
Non incuſo deas: quis enim vel carpere poſſit,
Vel ſacros æquare modos? at ſi qua fatendi
Libertas, veri, noſti puer inclyte, noſti
Quæ rerum ſeries, ſteterit quo cardine cauſa,
Quam bene rem ſermo digeſſerit, indice vultu,
Eloquio frontis, oculo cenſore ſecanda.
Lis erat: unde igitur armata licentia fandi.
Infremuit, ſi dura minus reverenſq; pudoris

* *Oratio Veneris.*

Et

Et Jove progenita, & virgo Tritonia credi
Posset? At emeruit Musarum maxima dici,
Non nego fingit enim, nulliq; hac parte secunda
Falsigraphos commenta docet, docet auribus uti
Mollibus & cœcos per frivola ducere sensus.
Cumq; per ambages nugis pomposa venustis
Philidas, Hysiphilas. & prælia nostra retractet,
Lucratur sacram venalis fabula laurum.
At si militiam fingendi fœda facultas
Hanc habitura fuit, saltem discrimen habendum
In quam, quid, quare, nec enim si nata cerebro
Nostri plena Jovis, gelidæ, nil improba fando
Virginis elidit titulum doctissima virgo.
Illa virûm titulos raptis mendicet ab armis,
Sit se contenta Venus: tumidè illa minetur.
Non humiles facilesq; pati: rorantia tabo
Signa ferat victrix, nostri sine cœde triumphi
An quia naturæ non obluctata, fatigor?
Anchisæ si blanda fui, sexumne refelli?
Si peperi, cui facta nocens? meus astra Cupido,
Æneas Phrygiam vester colit, hæccine culpa?
Hoc Venus exitium superis molitur & orbi?
His homines, his dono deos, ergo innuba Pallas
Sic meritæ mores Veneris notet, illa ne grata,
Grata, viris, quos Marte vorat? placanda puellis,
Quarum fastidit sexum? diis digna serenis.
Quos residos timidosq; vocat? sic exit in omnes,
Sic telis placitura suis, sic omnibus æqua.)

At

At virgo eſt: negat Aglauros, negat angvis opertus
At taceo. At facie pollet: conſulta reclamat
Unda tumorq; genæ, gladiis ac ſtrenua ſumptis:
Non proprium quod fingat habet, mentita poteſtas
Læta brevi, probroſa diu: poſt pauca ſerena.
Spuria perpetuo ſordeſcit gloria luctu.
Quondam certa fides, bella imperioſa deorum
Non una confecta manu, lauruſq; per omnes
Dicta dari, at victrix Perſeæ Gorgonis umbra
Extorſit titulos, palmamq; im bellis Olympi.
Sic de ſe meminit Pallas, ſic credere oportet.
Crede Paris, res digna fide, tradendaq; faſtis.
Plus Jove, plus Phæbo potuit, plus fœ nina Marte,
Marte utinamq; meo: nec enim tibi Juno nepotes
Invideo, ſi digna tamen. nec turpe Minervam
Ut ſocium numerare genus, tot freta Dione
Vindicibus potuit ſaltem, ſi fata tuliſſent,
Serpentum non eſſe parens, miſeriq; per urbem
Exulis, explicito raperet veſtigia giro.
Hermione Martis, vidi, vidi ipſa nefandè
Cæſum quem peperit populum. Sic fata madentē
Inclinat vultum, rurſuſq; accenſa profatur.
De face nil læſa queror, metuenda Deorum
Invidia eſt, blando Semele conceperat aſtro,
Plena Deo, paritura Deum, denuoq; tumebat
Menſis, quum Juno vultum mentita ſeverum
Accedit, perſvadet, abit: quid credula, ſimplex,
Inſcia, jurato premitur Jove! ſic tua longis
Cadme fides perfecta viis, ſic annuus error E.

Emeruit, cum rapta ſoror, viduamq; parares
Junonem ſancire Jovi, te luctibus ecce
Munerat, inq; tuos flammis armatur alumnos,
Gaudeat, an quali deitas rugoſa triumpho
Molitur titulos, tremulâ dum militat haſtâ
Altricis mentita fidem: nam cœtera nullus
Confinxiſſe labor, faciles ad tempora cani,
Ad faciem rugæ veniunt, fallenda ſenectus,
Non fingendà fuit, ô ſi ad certamina formæ
Illa potens Beroë ſtaret ſocianda Dionæ,
Incuteret celebrem ſimulatrix ſimia riſum.
Stulte quid Europem genero Jove quæris Agenor?
Illa rapi meruit, raptorem excuſat egeſtas,
Et thalami potioris amor, ſibi maxima debet,
Quod toties vidua eſt conjunx Jovis: alite fauſto
Nupſiſſet ſtabiliq; thoro, ſi prima tuliſſent
Fœdera plus formæ, lingvæ minus, improba, turpis,
Garrula, legitimi mores inceſtat amantis.
At ſoror eſt conjunxq; Jovis, bene ceſſit, in uno
Conjugis offenſam redimit, ſoror ardua regnat:
At patris in ſolio, fruiturq; jugalibus aſtris,
Stirpis non thalami meritô, fuit aureus olim
Ille ſenex, quo nata feror, fuit unicus hæres:
Nec dum ſortilegam mundus nutabat in urnam,
Cum pia Saturni proles, æquanda minervæ,
Vel ſaltem non exul erat, regnoq; tyrannis
Concedente tribus, triplicem proceſſit in orbem
Communis regina Venus, quod cum Jove Juno,

Cum

Cum Jove, cum Titone fuit, cum Dite Dione.
Non mea fyderibus famulis contenta poteſtas,
Tartara ſolatur, mulcet freta: vos pia ponti
Turba Dei veſtræ ſcelus excuſate ſororis,
Si ſcelus hinc traxiſſe genus, tuq; optima vindex
Imperioſa Thetys cœlum Junone fugata
Polce tuum, raptaſq; faces jam pellice pulſa,
Jam non ſollicito venies paritura tonanti.
Fatis nulla fides, precium Saturnia formæ
Perdet opes, perdet, non hunc emptura decorem;
Veniſſet, ſi pulchra domi, malè Dardane mores
Conſuluit dare prompta duos, non flectitur auro,
Qui titulum paritat s habet. victricibus olim
Armentis impenſa fides, librantis habenas
Non vendit nutum, veteris non immemor æqui
Plane blande Paris vultu victore fruetur,
Cui gemit Heſione, ſangvis cui fluxit avitus,
Alcidæ quæ tela ſui ſibravit in arces
Bellica virgo tuas? ubi tunc quæ prælia jactas?
Fatum ubi? plus actum eſt rapto Phryge, pocula natæ
Eripuit, thalamumq; deæ, ſic molliter ultus
Aſpera miſcet adhuc ſuperis dotatus Olympo
Flos Aſiæ, veneranda deûm regumq; propago.
Non meus inſtabilis labor eſt, aut gloria verſus
Texere, non trepidas penſis urgere puellas.
Non mecum Phæbus, mecum certavit Arachne;
Hos Pallas tibi pacta pedes, hæc ſtamina nectat
Plurima, dii (fateor) faciles & ſumma paciſci

Et da-

Et dare: sed quid opes, quid regna, quid arma potēti
Adiiciunt? cujus sceptrum pars amplior orbis,
Cujus opes Phrygiæ, cujus gens Dardana vires.
At si solanda est thalami regalis egestas,
Si vires, si sceptra nihil sine conjugis usu,
Munus habe Veneris, munus quo Sparta superbit,
Munus quod dicit Juno velit esse Minerva.
Quid moror? internam propius rimare Dionem.
Res agitur tractanda palam: jam pectora nuda
Pandimus, hac facie Phœbo duce metior astra,
Hoc vultu produco diem, formose merenti
Gratare & similem judex ne despice vultum.
Sic effata, genas rapto depromit amictu,
Nuda humeros exerta sinus, totoq; diescit
Ore, pudet divas Veneri cessisse triumphum.
Consulite ultores Phrygii, Venus excitat ægros.
Hac constant mihi visa fide: vel somnia certè
Pondus habent, hic fata sequor, parete Dionæ:
Quæ civi lachrymas, risus quæ terminet hosti.

LIBRI SECUNDI FINIS.

PERIOCHA LIBRI TERTII.

Tertius extremum Troiæ divinat & inde
Ad raptus Helenæ Paridem transmittit ad Argos,
Qui prius Hesionen captivam reddere nollent.
Agmina Græcorum conspirant illico ad arma,
Et duo nimboso merguntur in æquore fratres
Tyndaridæ, tumido, extendunt in gurgite palmas.

DA-

DARETIS PHRYGII
De Excidio Troiano.
LIBER TERTIUS.

SOlvuntur vario consulta silentia plausu:
Idalium Pœana canunt, plebs, aula, senatus.
Hic fatis vovet, ille dies una omnibus una
Voce, animoq; frequens, plaudit Venus, altus ubiq;
Sangvis obit, sacris ultrò cessantia cedunt
Atria, coronato luget spoliata marito
Inachis, & raptos gemebunda reposcit alumnos.
Illustres superis epulas molita potestas,
Sacrificis bibulos lictoribus instruit ignes.
Totaq; thuricremis Panchaia spirat in auris
Venales emptura deos, at pauper acerræ
Principe digna Deo, nostro placitura tonanti,
Mente litat pura, votis exorat honestis
Celsior explicitas rapturus in ardua flammas,
Regius extruitur comestis floribus ignis.
Perstringitq; aciem, procul his expirat ab aris
Hostia dira cruor, Veneri quod dulce propinat
Ductor, Aristæos latices, Melibea fluenta,
Icarios haustus, fracti phænicis odores.
Fronde comas nexæ, sanctæq; astare parenti
Iliades jussæ, spumantia lacte serenis
Cymbia devolvunt flammis, rex ipse ministrans
Idaliam delibat avem, sic ante precatus:

Diva

* Diva potens, hominũ, divũ imperiosa voluntas,
Vera deûm soboles, nostri Tritonis alumna
Alma Venus, seu te convivam Thetyos urna
Poscit, seu nectar superum, seu forte papaver
Elisium, flecte hæc teneros ad dona jugales,
Hos dignare favos: nec enim mactante securi
Grata manus pia sacra tibi: si digna litamus,
Exorata veni, partemq; haustura recumbe.
Celsa licet caleant (oteno thure Cithæra,
Idalias modulos nectat nemus ardua Cypri
In flores crescant varios. incensa Cithæræ,
Idalias volucres, Cypri thyma, Pergama vincent:
His mentis, (his si qua tamen) veneranda Dione
Adde fidem visis, sponsi memor adde favorem,
Solatam solare domum, non improbus oro,
Ut tuus Inachias prædo prædetur alumnas:
Hesione contentus eat, Tritonia certè
Non neget, hosq; velit melior Saturnia raptus
Olim Asiæ (sed quid vulgata ac flenda revolvo?)
Claruit imperium formidandusq; Pelasgis
Phryx erat, inversa est vetus alea, respice Diva:
Æneadas miserare tuos. Sic fatus in ignes
Hybleas inclinat opes, jejunaq; spirans
Nidor odorifero solatur sidera fumo.
Jam votis sacrisq; modus, jam fessa reclinat
Flamma apices: alios Helenus prorumpit in æstus,
* Bacchantemq; Deum flagranti pectore nactus,

* *Vaticinium Heleni.*

Voca-

Vocales tripodum furias auguftat in ufus,
Orfus ita: Heu Phrygii, gens non præmenfa futuri
Quò nofter fpoliator abit? quæ nam illa carina,
Quæ Troiam menfura venit? jam littora tangit.
Ite duces contra; fic interrupta profatus,
Plus dubios urit, pleno tamen arguit ore
Deiphobum, cui fumma fides & fola medendi
Copia, juffa fequi Veneris, raptum ire Lacænas,
Authores fperare Deos. Quæ nam ifta nefanda
Spes? inquit fuperumne fides, cœliq; poteftas
Inceftum difpenfat iter? prædantibus adfit?
Macte Paris fceleris, alios molite miniftros,
Et fomnum tibi finge novum, non fallere norunt
Qui falli nequeunt, orãtem haud fuftinet ultrà
Troilus, utq; animo præceps, belliq; fit itor
Et gladio confultor erat: Timidiffime fratrum
Vade [ait] ô tenebris antri damnate loquacis:
Vade, inquam, & quotiens vifum tibi fallere plebẽ,
Finge Deum: nobis alius jam conftat Apollo.
Ibit Alexander, non fi Cumana fenectus
Aut aries Libycus, aut Chaonis obftrepat ales,
Juffum flectet iter: ibit miferamq; reducet
(Quod nolles tamen) Hefionem, conclamat herilẽ
Præceps ad nutum plebis, excire tumultus
Quos nequeat fopire potens, nec menfa futurum,
Audet, cum præfens metuat nihil omnibus arma,
Arma animis, mentiq; frequens illabitur Argo,
Laomedonq; jacens, & inultæ dedecus urbis.

Conclamantq; iterum: quonam uſq; ô libera pubes
Dardanio cognata Jovi, patiemur inultum
Tot jugulos rubuiſſe ſenum? tot colla parentum
Argea nutaſſe manu? non impia ſanxit
Atropos, hos etiam noſtris incumbere fatis
Ultorem non poſſe dari ſi numinis iram
Troia merens ſenſit, pœnam quoq; judice Phœbo
Dyra Mycenææ debent convivia menſæ.
Ite duces, Venus hæc, hæc certior augur Apollo
Bella jubet, fratrumq; exhauſta funditus urbe
Poſcit in offenſos Phrygii ductore meatus.
Unde metus, metus unde viri? conceſſit in ignes
Indutus Neſſum Tyrinthius ecce timoris
Cauſa prior ceſſit ſpirat par Herculis Hector,
Ecce animos gens noſtra dabit ſi prima Pelaſgis
Laurea, fas Phrygibus palmam ſperare ſecundam,
Et noſtros rediiſſe deos vos inclita ſaltem
Pignora, cœſorum jugulos lugete parentum.
Vos quibus uberior lachrymas injuria nectit.
Vos pietas armata vocat. Sic voce precamur,
* Intenduntq; manus: ægras quum Pantus in aures
Priſcos fatorum monitus ferit, & quod ab ipſis
Extorſit genitor adytis Euphorbius index,
In medium pandit proles: Lapſura ſub Argis
Pergama, ſi Phrygias Helene conſcendat in urbes.
His jam facta fides ducibus, vulgiq; tumultus

* *Vaticinium Panthi.*

Flecti-

Flectitur ò quanto priſcis nova mollius urgent.
Plus ſuperi conſtant Pantho memorante futura,
Quam dicente Heleno. Priami tamen ægra laceſſit
Concilia Heſione, ſuperos premit: audit & audet
Dux falli: fatiſq; favet, quam fata recuſet.
Atq; ita, dic [inquit] alio dic ordine fata
Anthenor: memora jam facta, neceſſe per actum
Conſtat: venturum, mutabile tranſit, habemus
Jam cunctis graviora minis, perfuſa cruore
Pergama nuptarum lachrymas, planctuſq; parentum
Tu quoq; viſa refert Phrygiæ repetitor alumnæ.
Atq; ita quæ paſſus, obiter tot cladibus adde.
His ſaltem cedat bacchantis fabula fœni,
Et moneat potiora fides, prius eſſe negabit
Unda fluens. ignis urens, ſpirabilis àër,
Quam dictet facienda furor, ſic fatur. At ille,
Ergo (ait) ô cives, rerum teſtanda priorum
Hiſtoria? an lapſa eſt nondum vetus? indice quæſtu
Non opus eſt, ubi regna dolor & bella loquuntur.
Vidimus emeritis fæcundam civibus urbem,
Atq; alium regnare ducem: nondum Ilion Argis
Ceſſerat, Has ne vices velox oblivio tranſit
Immemor, & longi præcidit tædia luctus
Impatiens langvere diu? quia inclita pubes,
Si juvat inviſo mentes abſolvere queſtu,
Armata decurre diu, fortuna ſequenda eſt,
Dum præclarum aliquid dolor inde coctus anhelat.
Nil grande & longum: ſegnem timor obruit iram.

Hæretis, quia fana vetant, hæc ſcilicet angit
Cura Deos, ævi tacitos vexare receſſus,
Et rerum librare vices: ſtant fata tenore
Fixa ſuo certam miſeris ſi parca ruinam
Indixit Phrygibus, moriendum Marte triumphum
Si pepigit, meritum minuit victoria ſegnis.
O falli facilis ſi fas depromere verum,
Deprendi inſidias ſuperûm. Lerneus Apollo
Noſtras vexat aves; & quæ metuenda minatur,
Dardanidis timet ipſe ſuis. Sic facta loquutus,
Accinctos ad bella Phryges prævertere tenta.
Vos contra cunctis potiora eventa futuris
Pendite, donatos Tirynthius induit ignes,
Aecidæ ſenuêre duo, nulliq; timendus
Aut puer, aut virgo quem fata minantur Achilles,
Ipſe videt, vidi ipſe viros & mœnia, vidi
Urbes, ſed gelidos nil excitat, ite potentes,
Et jugulos aptate jugo, ſpretoq; triumpho
Reddite fatidicis victores enſibus enſes.
His virtus accenſa viris, procul omnis abacta
Relligio, cedit Helenus, vittaſq; minaces
Abjicit, & lachrymis incuſat fata ſequutis.
* Dux cœpti legitur paſtor Paris advena quondã
Regis, nunc regni hæres: nec proficit urbi
Fatalem damnare facem, quum læderet ardens
Prægnantem ſomnus Ciſſeida, pullulat altè

* *Paridis ad rapiendam Helenam profectio.*

Flam-

Flamma vetus, revehuntq; fidem præſagia plena.
It fati imperio Danaûm rapturus alumnam
Dardanus, & blande debellaturus Achivos
Prævelat fraudes, cæſas non induit alnos,
Pinnarum ſuſpecta ſtrues, numeroſa vagatur
Tranquillo claſſis cultu: regalis olivam
Prætendit pinus, tandemq; erepta furori
Semimaris galli, non adverſante Cybele,
Miratur ſimiles bacchæri ad littora voces.
Hanc decor inſignit, qualem progreſſior uſus
Poſt longum lucratur opus, tabulata ſuperbis
Præradiant inſcripta notis, veſtitur herili
Prora Tyro, puppiſq; Tago, nitor erigit Indus
Antemnam, ſpargitq; in tranſtra cupreſſus odorem
Vela regens: certant venti quis linthea tendat.
Purpureos diſtincta ſinus at lene fluentes
Arceſſit zephyros puppi præſcripta Dione.
Inſtabat jam dicta dies, qua claſſis in altas
Propulſum poſcebat aquas cum lecta juventus
Priamiden ſortita ducem per littora ferri
Diſcurſu rapido, qualiſq; abeuntibus ardor,
Certatim fremere: & varios miſcere tumultus.
Haud mora, ſuccinctos Nabathæos agmine ducens
Hector in arma Phryges comites per cœrula fratr
Ire jubet, certantq; rates ſtipare ſecuti
Pœonidæ duce Deiphobo quin ipſe Diones
Spes Anchiſiades cum Polydamante ſecundo
Jungit opes, tamq; effractas rapiebat arenas

In pelagus classis, humerosq; manusq; secuta:
Cum tandem exclamans adytis Cassandra relictis
Fata aperit, turbatq; Phryges, at sæva morantes
Impellit Lachesis pinus, uncosq; tenaces
Rumpit, & intento percellit flamine vela.
Ultimus in socias fatalis prædo carinas
Provehitur, multum Priamo frustraq; rogatus
Ne quicquam temerê victori supplicet hosti,
Hesione contentus eat, sin reddere raptam
Velle negent bellum intentet sic format iturum,
Venturosq; Phryges accepto interprete spondet.
Vix in conspectu Paridi patuere Cythæra
Cum patrias permensus aquas, ad Nestora casu
Atride molitus, iter, Simountide pinu
Aspecta, secum volvit cur, quô, unde: stupentq;
Alternis reges figentes lumina velis.
En qua fata fide rerum discrimina nectant.
Hostis adest, Menelaus abest, geminosq; Lacones
Hermione sibi nacta duces Agamemnonis urbem
Visum ierat, matrem cupide visura secundam.
Plebs quoq; Junoni celebrem confluxerat Argos
Ludificum ductura diem, pontusq; vacabat
Et tellus exuta viris, sic omnia casus
Expediit ventura potens victrixq; Dione.
Prodit in abruptum prætentis insula saxis
Myrtigeræ sacrata Deæ, pars una recessu
Abditiore latens refugos falcatur in artus
Deprensos furata sinus, huc littore blando

Freta

Freta Phrygũ pubes, puppes agit ipſe propinquas
Sangvine ſacrifico Latoidos irrigat aràs
Principes, & larga cumulat promiſſa ſecuri.
Ergo Cythæriacas præceps it fama per urbes
Priamidem veniſſe Parim, plebs undiq; portus
Decurſu complet: ac pollens ore Lacæna
Ignotos viſura viros ad littora greſſus
Dirigit, acclivemq; freto defertur Helæam.
Poſtquã Helenes Paridi patuit præſentia, claſſem
Deſerit: ac formæ fidens, & conſcius oris,
Huc illuc greſſum librans, qua Tyndaris ibat,
Indefeſſa vagis inceſſibus otia texit.
Certanteſq; offert vultus, incendia nutrit
Mutua, captatumq; brevi lucratur amorem.
Quippe nec ad curſum præceps, nec ſegnior æquo
Librato pectus formam juvat, actus in armos,
In caput erectus, tenero delibat arenam
Inceſſu, figitq; oculo mirante Lacænam.
Oblitoſq; gradus ſiſtit: ſuſpectus haberi
Mox metuens, transfert celeres ad cœtera viſus.
Ceu ſtupeat quicquid ſpectat, moderantius illa
Obliquos vultus & non ridentia plenè
Ora gerit totaſq; velit cum pectore nudo
Oſtentare genas: ſed caſtigator adultos
Comprimit exceſſus animi pudor, ægraq; mixtus
Pulſat corda metus, ſentit Paris, ardet & audet:
Promiſſorq; ingens facilis præſagia prædæ
Ducit amor, dum ſigna juvant, dum nutus oberrat

Interpres, cordisq; vagi præsentior index
Leno oculus taciti garrit præludia voti.
Ut verò explicitas peregrini Tyndaris auri
Blanditias hausit, complutaq; murice vela,
Conspexit, quid agat hæret, præbere rogatas
Prompta manus cogiq; volens: ac turba precandi
Stipatrix, juveni fas invidet, inclyte prædo
Ne propera, dabit illa manus, manus aurea vincet
Plus opibus, minus ore potes Cicerone secundo
Non opus est, ubi fantur opes, quin ipsa rapinis;
Blanditur fortuna tuis, urbs, aura, Lacæna
Nuda, favens, facilis, cœptum juvat urbis Helæa
Nomen, in hac pelagus undis declivibus actum
Proxima littoreis delambit tecta procellis,
Et medias impingit aquas, clauditq; profundo.
Hic Latonigenis cognatas fluxerat aras
Prisca fides, jubet hic noctem regina propinquā
Excubiis hilarare sacris, templum ipsa superbum
Prima petit, solitoq; deos implorat honore,
Res cupido perlata Phrygi, temeraria sancit
Consilia indulgetq; aditus in vota secundos
Pollicito majore Venus: rapere haud mora nuptam
Victor, & imbelles populari destinat aras
Tantaq; præcipitem pulsat lascivia mentem,
Vix noctem exspectat suspenso vespere credens
Zelotypum Titana suis livere secundis.
* Fregerat Hesperias radiis langventibus undas
* *Helenæ raptus.*

Phæ-

Phebus, & aſtrorum medio poſcebat in alto
Nauta diem: tellus, àër, mare, celſa remenſo
Conſopita Deo, ſtrepitu defuncta ſilebant
Undiq; & in teneros mutabant otia ſomnos.
At Paris obſequio noctis præſentius audet
Impatiens differre, deos veneremq; ſecutus
Primus ad imbelles thyaſos, & debile vulgus
Armatum maturat iter, ludentia turbat
Phana ferox, non hoſpes Hymen non conjuga ſacra
Aſperior tutela Deus temerè omnia præceps
Aſpernata Venus, nil reſpectura decorum,
In facinus votumq; ruit, rapit ergo Lacænam
Tendentem manus, & læta fronte vocantem
Dardanus: aut rapitur potius, gratare trophæis
Prædo tuis, agnoſce deos, poſt aſpera multa
Excidium luctatus abis, revehiſq; parenti
Quas nollet peperiſſe faces, heu perdite neſcis
Quas tecum clades, quantos fugiente tumultus
Claſſe refers, tuq; Herculea corruptior unda
Bellerophontæo flagrantior igne, ſereno
Certa minus, thalamos linquis Ledæa jugales
Et ſpreto totiens iterum quærenda marito,
Nunquam rapta fugis, nunc ô Lilybæa vorago,
Latratus Syculi, Libycus tenor, & quod in omni
Sævit triſtè mari, mixtis huc confluat undis,
Has infeſtet aquas, primoſq; ultrice procella
Amplexus medium ſolvat mare multa nocentes
Mutat, ſi vetitis velox occurrerit auſis.

Poſt

Poſtquam exempta quies, & mœſto pulſa fragore
Inſcia turbatas hauſere ſilentia voces.
Aure prius menſi fremitus, ubi & unde tumultus
Armati cognata petunt oracula cives.
Hic tritas ſtridere lyras, hic pocula cernunt
Effuſo calcata Deo, funalia lucem
Ponere & effracto lacrymari lampada vitro.
Mirati qua clade nova jucunda ſileret
Relligio, quæ cauſa pios inopina tumultus
Flexerit, advertunt alias ad littora voces
Et toto ſonuiſſe mari: Quô perfide leno
Hoſpitii temerator abis? ſic digna rependis
Regales prædate thoros? his nobile vulgus
Excitum, arma fremit, raptâq; ſuperſtite turbâ
Invadunt Phrygios, illi nec pandere vela
Moliriq; fugam ceſſant, nec jungere bello
Dignantur dextras: contentâ paupere pugnâ
Sola tamen tumidos pertentat gloria, captis
Injectare manus, proprium quum quiſq; trophæũ
Oſtentare paret, aut cive aut virgine rapta.
Ecce redit Paphiæ meritus virgulta coronæ
* Victrices vinctura comas, Tenedoq; potitus
Jam minus audentem ſolatur prædo Lacænam
Jam tandem patriæ memorem, ſed gnarus adulter
Pollicitus fluxis mœchæ ſancire favorem
Et fictos lenire metus, ebur aggerat Indum

* *Reditus Paridis.*

Thura

Thura Sabæa, Midæ fluvios, & vellera ſerum,
Ac mundi majoris opes, quodq; educat àër
Jucundum, pontus clarum, vel fertile tellus.
Hæc faciles emêre thoros, domuêre rebelles
Amplexus, pepigere fidem non jam oſcula reddit
Non reddenda negat Helene, ſed pectore toto
Incumbens, gremium ſoluit, premit ore, latentem
Furatur Venerem, jamq; expirante Dione,
Conſcia ſecretos teſtatur purpura rores.
Proh ſcelus, an tantis potuiſti peſſima votis
Indulſiſſe moras? expectabatq; voluptas
Emptorem? ô teneri miranda potentia ſexus,
Præcipitem in lucrum ſuſpendit fœmina luxum,
Nec niſi conducto dignatur gaudia riſu.
Res hilarat vulgata Phryges, Priamoq; ſereni
Clareſcunt vultus, rugas rareſcere ſentit
Inſelix animi morbus, dolor, improba paulum
Cedit hyems mentis, voto duro angere ſperat
Reddendam Heſionem, Helenam ſi reddat Achivis.
Nondum Sygæas portu digreſſus arenas
Dardanus attigerat, meritos mentita triumphos
Obvia turba ſubit, pars curru vecta ſuperbo
Aerium ſuſpendit iter, pars cœtera caſum
Haud metuens, greſſu veſtigia paupere rexit
Obſequio contenta pedum: & quæ cura novorum,
Inachiam viſura nurum plebs currit anhela
Contemptrix operæ nutricis, & immemor artis,
Nec lucri meminit, prædam dum ſpectat amænam

At

At cui ſublimes humeros proceraq; colla
Invidit natura brevis, vel deſuper altis
Incumbit tectis, vel recto calce fatigat
Articulos, humileſq; gradus ſuſpendit in altum,
Hoc populo dederat vulgati fama decoris
Certamen mirandi Helenam, ſubit, illa, pudicè
Ora gerens, oculis nuſquam vaga, voce faventi
Spectantum pudibunda parùm, mixtoq; nitore
Sideeas neutrata genas. At regia vates
Ut veniſſe Parim certo Caſſandra relatu
Audit, & adductam monſtrum fatale Lacænam
Ad tripodas queſtura fugit, famoſq; loquaces
Ore premit, poſcenſq; Deum, non irrita longum
Fatis plena redit? claret interprete vultu
Extorti vindicta Dei, furioſa poteſtas
Imbelles vexat artus, cervice rotata,
Crine umbrante humeros oculis ſpargentibus ignẽ
Et facies prodente fidem nunc livida vitrum,
Nunc flammata facem ſuperat, nunc pallida buxũ.
Tali ſe mediis procerum tot millibus infert.
Ore ferens, tremuloſq; gradus vix ebria figit,
* Atq; ità Tyndaridem cernens: Tunè illa juvenca
Quæ ſaltus ingreſſa novos, præſepe paternum
Inceſta liquiſſe fuga taurumq; jugalem
Diceris & noſtros petis importuna penates?
Ite viri, Deus ire jubet, pontoq; vel igne
Maternas abolete faces, ne dura ſequatur
Quam cecini clades, ſic paucis quæſta quieſcit.

Expe-

Expediuntq; Deum suspiria longa relictum.
His hilares hærent animi, torusq; faventum
Sopitur strepitus, favissent agmina vatis
Imperio, motas reverentia principis iras
Obruit, indignisq; datur Cassandra catenis.
Rex Helenam lenit, inopinaq; proba gementis
Solatur blandis: suspiria vatis anhelas
Excusat furias, celeresq; ad jurgia voces;
Et vitio capitis solitos sævire tumultus.
Nec mora, lascivit solenni rægia cultu
Imperiis ornata ducis, tædasq; pudendas
Tollit adulter Hymen, melius caligo profunda
Pollutum mersisset opus, quid nomine sacro
Incestum phalerare juvat? prætendit operta
Bracteolam caries, agnum lupus, ulcera byssum.
Sed famam fraus nulla latet: non una duorum
Esse potest: nam prima fidem dum fœdera servant,
Alterius non uxor erit, sed præda cubilis.
* Interea Grajum præceps perlabitur orbem
Luctus, & Europæ dotatas nomine terras
Armato rumore quatit læduntur in uno
Unâ omnes, seu quod populos injuria regum
Acrius incendit, seu regnis prælia Livor
Inducit, seu quisq; suas præsumit in iras
Quod fieri sibi triste potest, quod flere peractum
Quodq; pati potuere, gemunt hinc omnibus idem.

* *Apparatus Græcorum ad bellum.*

Idem

Idem animus, ſimiles ſcelerum præſcindere motus,
Et thalamos ſancire metu, ruit ocyus ergo,
Non juſſa expectat populus, belli ardor inerti
Naſcitur, augetur forti ſic prælia vulgus
Præcipit at viduos it ſolutura penates
Clara ducum ſeries, Maleæ quos erigit umbo:
Quos Lariſſa fovet, quos Græcia cætera nutrit.
Enumerem? facileſq; fide dictante meatus
Victrices Danaûm certo ſequar ordine vires?
Quæ loca, qui reges, pelagus quod quiſq; fatiget
Claſſibus? ac celebres hac novi parte camœnas
Fraudari titulis, anreſq; offendere molles
Pauca tamen ſtudio non ægreſcente faventum
Succinctè dixiſſe velim, numeriq; ſigillo
Juratas ſignaſſe rates, fert bella bis una
Bis centum & decies centum, quas undiq; raptas
Cecropii vocat unda ſinus, & Apollinis æquor
Huc acies, huc arma meant, hinc bellica claſſis
Ordiri diſponit iter, ſic culmen herile
Imperii juſſit, ſtatuit conſulta poteſtas
Aſt ubi geſta Phrygum geminos vulgata Lacones.
Concuſſere, fremunt ambo, dolor excitat ambos,
* Ambos ira quatit, non ſic orbata leones
Luſtra indignati lugent, non fulminis ales
Si gemit elingvis inopina ſilentia nidi.

* *Ut Caſtor & Pollux tempeſtate ſubmerſi ſunt.*

Ha-

Haud mora conſcendunt claſſem, Lesboq; relicta
Dum præceps animus, & nil decoctius audet
Ira recens, nullos expectatura ſequentes
Haurit iter fluidum, pietas memor alta tenebat
Caſtor, & Iliacas jam jam paſcebat arenas
Excidium latura ratus, nox obviat atra
Defenſura Phryges, armatiq; aeris ira
Inſtrepit, & geminis expugnat vela procellis.
O pietas, qua nulla Deûm præſentior ambit
Virtus: ô mitis fraterni candor amoris.
Sola hæc in geminos ceſſit diſcordia fratres,
Diſcordes habuiſſe metus: hic illius, ille
Hujus fata timet: quatienſq; illabitur æquor,
Inuergitq; latus puppis ſubitura profundum,
Æquoris occurſum certatim vertice prono
Anticipare parant: & ſic proclamat uterq;
In me dira Thetis, in me ſæviſſime Triton
Has intende minas, tantos molire tumultus,
Hunc ſerves, huic parce precor: tandem acrius acto
Imcumbente Noto, nil jam ſperante carina
Ledæi juvenes nexis per colla lacertis,
Nata ſimul ſimili deponunt corpora fato.
Deſine Cecropii funeſta licentia pagi
Inceſtos generare deos: non fabula cœlum
Sed virtus non ficta dabit: quos cæcus ab alto
Merſit in ima furor, in ſummos erigis axes,
Et ſimiles Jovis eſſe jubes: quos ignis in auras,
In ſcopulos ſparſit fluctus, mentiris adeptos

Sidera, gentilisq; preces deludis acerræ.
Tyndaridis quos hausit hyems, dans Attica cœlum
Fabula, Castoreos casus Pollucis in ortum
Fingit, & alterni redimit dispendia fati.
Ac neutrum testata Deum, feralis utriq;
Atropos injecit laqueum, quo fortibus ægros,
Quo sontes placidis inopes quo regibus æquat.
Sola tamen fatis Ledæum Lesbos amorem
Concessisse negat, captosq; secuta Lacones
Quos nec apud Phrygios, mediis nec repperit undis
Credidit esse Deos: steriliq; reversa favore.
Diis urbes auxit, thure aras, marmore templa.
Sic Britonum ridenda fides & credulus error
Arsurum expectat, expectabitq; perenne.

LIBRI TERTII FINIS.

HYPOTHESIS LIBRI QUARTI.

Argolicos Phrygiosq; duces locat ordine quartus.
Dira canunt iri destructum oracula Troiam.
Barbarica cum gente manus mox Græcia pugnax
Conserit, & Teuthras expirat vulnere tactus,
Mandat ad Elisios campos quem pompa celebris.

DARE-

DARETIS PHRYGII
De Excidio Troiano
LIBER QUARTUS.

POstquam Mygdonias bellatrix fama per urbes
Armorum vulgavit opus, concussa minaci
Barbaries motu, trepidis conjurat in arma
Viribus, & totos Priamo Mars excitat ortus.
Primus opes Phrygibus Zelia tradente sequaces
Commodat Amphion, socium cui Pindarus arcum
Consortem Adrastus gladium rapit, hospes iturum
Instruit Amphi machum Colophonia ducit alumna
In bellum Lyciam socio Sarpedone Glaucus.
Marticolæ Thraces Xantipum, Memnona Mauri,
Pœonida Phorcum, sequitur Zizonia Remum,
Ephemus & Capesus, & quorum nomina longum
Æquato sermone sequi, stipare cohortes
Certant, & sese numero vel robore vincunt
Dat Ganges Arabem, Syrium largitur Orontes,
Dat Scythicos Tanais: geminoq; obnoxia mundo
Ripa duplex, bellis populum partitur utrumq;
Nacta ducem geminum, migratq; in prælia quicquid
Hermus aquis, Taurusq; jugis includit, & omnis
Iliacos legio tendit munire penates.
Nos inter fremitus, certantûmq; ardua regum
Robora, pugnaces jactantius armat alumnos
Troia potens nulloq; locum sperante priorem

Indigenæ vires cognataq; celsius arma
Consurgunt, toto sed Troilus agmine princeps,
Fulmineusq; Hector, par bellis impetus, æqua
Vulgi tempestas titulis præcellere certam,
Et dubia alterno contendit fama favore.
Cœtera fraterni Martis numerosa potestas,
Ductu quemq; suo discretis fulminat ausis.
Ut quot Priamidas, tot jurent Hectoras esse:
Quot Troes, tot marte partes tibi Troile dicant.
Nunc utinam, quo quisq; animo, quo fulserit ore
Quis membris inscriptus honos, quis pectora motus
Extulerit meminisse queam, vultusq; peremptos
Suscitet eloquii virtus, oculisq; sepulti
Pectoribus vivant scripto præcone tyranni.
Sic olim positos populis mirantibus offert
Elingvis pictura viros, sic cultu profatur
Charta duces: oculis hæc blandior, auribus illæ
* Celsa duci Priamo latè surgentibus armis
Effulsit roseum cervix caput, ardua scribunt
Membra virum, blandoq; genas terrore minaces
Regius ornat honos placidæ vox nuncia mentis
Nil tumidum, nil triste sonat, propiorq; precanti
Mollibus imperiis famulantes instruit aures.
Hector magnanimum librato culmine pectus
Erigit, intorto candet coma crispa capillo,
Succinctum complexa caput: blandeq; recisos

* *Priami descriptio.*

Fura-

Furatur vox blesa sonos, pernicia membra,
Mens placida in cives, faciem lanugo serenam
Induit, ac visus acies obliqua cadentes
In geminas spargit partes, semperq; supina
Occiduo stabilem contristat lumine vultum,
* Ore pares, patremq; geris, matremq; secuti
Priamidæ gemini, studio certante Minervam
Partiti, colit hic artes, hic arma fatigat:
Deiphobum Mavors, Helenum demulcet Apollo,
Troilus in spatium surgentes explicat artus,
Mente Gigas, ætate puer, nulliq; secundus
Audendo virtutis opus, mixtoq; vigore
Gratior illustres insignit gloria vultus.
Imperii cupidus, habiles prolatus in armos,
Sidera vernat acie Paris, ore serenus,
Eloquio lenis, pede præceps, strenuus armis,
Vertice flavescens, frontemq; actura superbam
Prætreferat tonsura genas, in summa recurrens
Tempora: nevè vagans formæ furetur honorem
Cæsaries, utramq; comam sua detinet auris.
Crine minax, vultu placidus, sermone serenus,
Affatu facilis, oculo nigrante venustas,
Consiliisq; pius, stabiles libratur in artus
Æneas, fusis humeris, & lumine grandis.
Antenor, tenui productus corpore, sura
Succincta motu facilis, quo nemo suorum
Insidias vel nosse prior, vel nectere major.
Regius incendit Hecubam decor argua pingit

Gloria, nec partu ſpecies effæta frequenti
Marcida, vectoris uteri diſpendia ſentit.
Mens victrix nil molle monet, nil debile dictat,
Sonti difficilis, at miti blanda rigorem
Exuit, afflictus clemens & civibus æqua
Forma, modus, pietas, ſenſus, pudor, auctius ornant
Andromache erectam humeris, viſuſq; ſerenam.
Non membris egreſſa modum, non cœca futuri,
Fulta gena tereti, ſuſpecto crine cruorem
Mentitur, flagratq; acie Caſſandra micanti.
Iliadum populo victore Polyxena vultu
Præradiat ſoliſq; decus ſpeciale meretur
Lactea membrorum ſeries, ridentis ocelli
Blandicie, pede fulta brevi, procera venuſtas
Poplitis, erecto librans veſtigia greſſu.
Articulos non æquat ebur, non lilia colli
Ardua non ritulum pavonis fimbria crinem,
Ipſa humilis, ſimplex, facilis, nil turget herile,
Nil varium fingens, nunquam fruſtrata potente.
Martius ornat honos Agamemnona, fuſa vigorem
Celſaq; membra fovens, vultu præcone poteſtas
Enitet, & regem ſpecies armata profatur
Mixta virum phalerant cirrho cadente decora
Virtus, nobilitas dives, facundia prudens.
Gratior æquato Menelaum forma venuſtat
Fulta ſtatu viruſq; comæ geniale rubentis
Mens domat: ipſe actu mentitos judice crines
Arguit, acceptus noto gratuſq; merenti.

Audax, magnificus, hilaris, pius æquat Achilles
Vultu Phæbum, animo Gradivum, Pelea membris:
In pectus laterum laxatur culmen, in arctos
Crispatur cirrhos, coma myrthea, crinis in armos
Deprimitur, poplesq; gradus consurgit in altos.
Actorides acie grandi, vernansq; decoris
Artubus, eloquio leni, cui cura juvare
Muneribus, constare sibi, disponere cunctis.
Vox teneris destincta jocis, mens ardua, fusi
Artus, Locrensis titulos Ajacis opimant.
Ajacem Telamone satum coma pulla venustat
In torquem collecta levem, modulata serenis
Lingva sonis, mens fraudis hebes sed strenua bellis.
Ore hilaris, modiceq; humiles collectus in armos
Dux Ithacus, prudens consultum pendere gnarus
Obliquare dolos, doctus captare loquendo.
Voce ferox, animo præceps, fervente cerebro.
Audentiq; ira, validos quadratur in artus
Tydides, plenisq; meretur Tydea factis.
Sic animo, sic ore fero, sic fulminat armis.
Nestora magnificat morum prudentia custos
Consilii librata fides, & sobria dandi
Gloria: porrectoq; humeris, senioq; nitenti
Nasi grata minus brevitas incurva sedentis.
Philiacides vernante gena, candente capillo,
Alite mobilior, Scythica torrentior aura,
Ardua nulla timens, animum non viribus æquans.
Nil grave, nil durum censet, nil linquit in ausum.

Ore virum faſſus, indignariq; minaces
Suſpendens cervice genas, livore ſuperbo
Obliquat ſocios Pyrrhus, ſcribuntq; ferocem
Ardua membra, teres oculus, projectior alvus,
Texendis vox ægra ſonis, teneroq; laborans.
Eloquio, lingva bleſos fruſtratur hiatus.
Naupliaden tenui progreſſum corpore, lenem,
Magnanimum, prudens animi moderatur honeſtas.
Arduus in faſtum, pingves demenſus in artus,
Criſpanti veſtit humeros Podalyrius umbra.
Gæſaries ceu ruffa jacens, patientia ſupplex,
Vis temere auſa nihil, pietas Machaona, pingunt.
Impia præcipitem natura Meriona mergit
Invidiæ cinctum ſtimulis, curæq; tenacis
Defeſſum excubiis, teretes cumulatur in artus
Carnea maſſa tumens, animiq; ebullit Erynnis,
In caput, in corpus reliquum, liveſcit inuſtum
Sangvineis pectus maculis, gena diſputat hydris,
Indicio pejore virens: & mentis anhelas
Incuſant furias flammati incendia crinis.
In medium librata ſtatum Briſeis heriles
Promit in affectum vultus, nodatur in æquos
Planicies crinita ſinus, umbræq; minoris
Delicias oculus junctos ſuſpendit in artus:
Divitiis formæ certant inſignia morum,
Sobria ſimplicitas comis pudor, arida nunquam
Poſcenti pietas, & fandi gratia lenis.
Tyndaridis geminis geminum nihil, unicus ambo
Oris

Oris honos ambit, ſimilis flaveſcit utriq;
Crinis: par hilares augeſcit riſus in orbes:
Æquus membra modus, concordes pectora motus
Conciliant, ſpirantq; unum gena, lumina, mores.
Sola pares variis præſumunt nomina formas
Diſtinxiſſe notis, ac victor vindice vultu
Eludit dubios error, vocumq; repugnans
Diſſidio, alterno confundit nomine nomen.
Inclyta cognatos æquat Spartana Lacones
Vultu, crine, genis: ſociæ cunabula ſtirpis
Pars oris teſtatur honos, at plenius haurit
Sidereum Ledea Jovem, totoſq; per artus
Lactea materni ſpirant mendacia cygni,
Nativum frons fundit ebur, caput exprimit aurum
Æquatis crinale comis, gena candida byſſum
Æquat, dextra nivem, dens lilia, colla liguſtrum.
Auris inexpleto criſpata volumine, viſus
Excubitor, naſuſq; vagi venator odoris
Poſcunt alternum titulo certante triumphum.
Productum modice mentum candeſcit, & alta
Lenius ut preſſis inſidant baſia labris,
Parcius in roſeum conſurgunt ora tumorem,
Fundit apex humeros, preſſum tegit ubera pectus,
Ilia ſuccingit levitas, tractuſq; lacertos:
Pes brevis inceſſu terram libante ſupino
Laſcivum ſuſpendit iter, crurumq; decora
Mobilitas compto libramine ponderat artus.
Sola ſuperciliis labes interflua raris,

Audaci macula tenues diſcriminat artus.
At nimis inſignes latebras ſecretius ornat,
Vitaleſq; colit thalamos, & digerit urbem
Interior natura ſuam, cor principe motu
Libratum diſponit opus, modulamina lingvæ
Limat pulmo loquax, at modico diſpenſat hiatu
Splen riſum, facili fel caſtigatius ira
Uritur, ac teneri ſcintillat mollius æquo
Pruritus jecoris, meritæq; inſignia famæ
Mergens, nativi titulos inceſtat amoris.
Hoc monſtrum non ales edax, non labile ſaxum,
Non axis torquens, non mendax vicerit unda.
Cum bene fracta tepet, moriturq; ſepulta libido,
Reſpirant plenis incendia priſtina fibris.
Sic Helenam totam pars unica mergit, & ipſum
Excitat in cladem regnis certantibus orbem.
Jam Pandionios collato robore portus
Argivæ tenuêre rates, ſpatiumq; negabat
Terra viris, velis aer, & puppibus æquor,
Quum tandem licitos poſcebant bella meatus,
Et juſſus libare vias, ac Delphica miſſum
Fata explorabant, refugaſq; evoluere Parcas
Actoride ſocio Phæbum prælibat Achilles.
Mira fides, quos præcipites in prælia traxit
Impetus atq; omnis nocuit mora, ſponte quietis
Pigreſcunt votis, placideq; oracula poſcunt.
Ægra dolor differt ſuſpiria, gloria palmam,
Ira minas, hærent ſuſpenſis agmina bellis.

Expe-

Expectatq; antri veniam Mars ipſe loquacis.
O variis deluſa modis gens credula curæ
Gentilis riſu an lachrymis, an flente cachinno
Ægypti portenta querar? Memphitica ſulcos
Relligio veſtit, in cortice marcet, in hortis
Creſcit, nunc terrâ ſerpens, nunc aera ſulcans.
Plus errant reſponſa tamen, plus ſpiritus ille
Quem miſeræ poſcunt animæ, quæ nomine pulchro
Præſumunt cenſere Deum. At non mugit in antro
Quem ſuus autorem mundus ſonat iſta priorum
Noxia ſimplicitas in noſtros defluit annos
Inceſtatq; fidem, nam ceu Balearicus augur
Gentiles diſtingvit aves, vel voce, vel alis,
Vel geſtu vario venturis omina ducens,
Ridentem ſic odit anus præſaga ſoporem,
Sic oris vacui caſum timet augure plauſu
Pieriæ volucris, aut indice nunciat aure,
Hoſpitibus numerum diſceſſuriſve receſſum
Multa quidem captata diu fortuna ſecuta
Expedit, inſidiansq; hoſti male credula fallit
Pectora, ut in fatuum declinent pronius uſum.
At melius, ne labe levi mens caſta labaret,
Augurium neſciſſe fuit, veterumq; ſepulti
Ceſſaſſent ritus: quorum decreta ſecuti
Grajugenæ ſumus oracula Delphica votis
Implorant, prior Æacides lictoribus aras
Imbuit & donis tandem ſolennibus emptas
Inachidis voces pandit venalis Apollo.

Vin-

* Vincitis ultores Danai, grave Marte biluſtri
Hæret opus, decimum ſequitur victoria bellum.
Talibus Æacides fatis excitus, in omnes
Secretum tripodum ſocios partitur: & ecce
Teſtorides Calchas mediis congreſſus in antris,
Concordeſq; deos, & conſona fata revolvit.
Hic patriæ & propriis ſcitatum oracula regnis
Venerat hoſq; adytis monitus effudit eiſdem
Numen idem: Non ô ſuperis gratiſſime vates
Vana petis, dabitur patriis clementior aer
Sulcis, jejuni populator Syrius anni
Occidet, & plenis pingveſcent meſſibus agri.
Tolle moras, te bella vocant, pete Cecropis urbē,
Ultrices diſpone acies: tibi bellica cædet
Turba manu, Mopſus oculis & pectore Neſtor.
Sera quidem, ſævisq; virum mercanda ruinis
Inachidas luſtro ditabit palma ſecundo.
Ergo hilares ſocias jungunt in fœdera dextras
Æacides Calchaſq; pares quippe altus utriq;
Gentis honos, regni æquus apex: at major Achilli
Spirat amor belli, Calchas tranquillior extis
Evoluiſſe deos & cœli noſſe meatus.
Tres unit jurata fides conſortia prima
Tertius auget amor, nec jam partitus amicum
Invidet Actorides, ſed pontum lætior haurit
Et reducem torquet ſocio Calchante carinam.
Ut tripodum vulgata fides per caſtra, per urbem,

* *Oraculum Phœbi de victoria habenda.*

Per

Per puppes, certo jam claruit indice, cunctos
Bella juvant, cunctis jam pulchrum vincere, tardū
Marte frui: munit eques armis, nauta ceruchis,
Civis meſſe rates, pauci quos debile pectus,
Mens plebeja, jacens animus, neſcire triumphos
Juſſit & abjecti, merſit caligine fati,
Aut acies metuunt, aut lente vincere damnant
Longa decennalis menſi diſpendia belli,
Quum caſus cedant variis, cum prælia nulli,
Sangvine cum multo paucorum gloria vincat.
Hos tamen, hos etiam regum reverentia flectit,
Et paſſura pares conſors vicinia motus.
Ergo animos hebetes mendax audacia frontis
Diſſimulat, clamorq; minax deſpumat in auſus.
Haud mora, corripiunt claſſes, his pendula pandit
Dextra ſinus, cervix alios defixa fatigat
In fluctus latura rates, hi robore textas
Ædificant in tranſtra vias, mordacis habenæ
Nexibus indulgent alii, laxantq; carinas:
Quum ſubitò egreſſos inopino turbine turbat
Nimborum pincerna Notus: noxq; imbribus hauſtis
Ebria, tela, viros, puppes, humentibus umbris
Involuit, cogitq; ipſos dubitare magiſtros.
Errat cœca freti claſſis, ſolitoiq; procella
Egreſſus objecta negat, fluitantia pinum
Percellunt mediam repetito verbere vela.
Primus ut à prora ſurgentes conſpicit imbres
Teſtorides, fruſtraq; duces contendere, divos
Præſa-

Præſagò jubet ore ſequi nolentibus auſtris
Cedere, & armatos ordiri ex aulide curſus.
Parent Æolios nutus vatemq; ſequuti
Grajugenæ, flexis repetentes Aulida proris
Montivagæ Phæbes pacem implorantibus aris
Conciliant largoq; exorant thure meatum.
Ilicet irato bibulæ Tamanthidos arcu
Cœruleum mutante jubar, ventoq; ſereno,
In riſum redeunte polo, deterſa meretur
Juno Jovem, atq; hilari ſolatur flentia vultu
Nubila, proſcriptoq; Noto, leniq; ſuſurro
Dante vias, majora petit ſuſpiria claſſis
Ergo Deûm nutu librantis flatibus uſa
Euboicas numeroſa ratis deſcendit in undas.
Conſumptura fretum, totum ſub puppibus æquor
Ire ſtupet, certat perplexis navita remis
Quis prior, & junctis confligunt ictibus æra.
Sic geminas miratus Athos Xerxejus umbras
Ignotum velis texit mare, ſic tua ſylvæ
Voce potens Orpheu modulantia plectra ſecuta
Biſtonios longis clauſêre amplexibus agros.
Dum mediis ſpaciantur aquis, ſecuraq; fandi
Otia ſopitus pelagi non invidet æſtus,
Jaſonium relegens Philoctetes prævius æquor,
Has, inquit, paſſi Syrtes, his hæſimus undis,
Hos Cyanes tulimus ſcopulos. Phrixæa ſecuti,
Vellera, Lemniacis domus hæc, Tracenſibus illa,
Hæc Paros, hæc Naxos, ſic cuncta rogantibus heros
Expli-

Explicat, agnoſcens veteris veſtigia curſus
Æſoniaſq; vias: ſic quæ ſubeunda, magiſtrat:
Quæ vitanda, docet: quum tandem hoſtilis arenæ
Allapſi gremio, ſævis clangoribus urunt
Aera, & iratis impingunt littora contis.
Protinus effuſo per caſtra, per arma tumultu,
Littoreas populantur opes, & proxima ponto
Mœnia Dardanii titulo male tuta tyranni.
Tandem comeſtis ſpoliis & divite præda,
Conſumunt inopes flamma victrice penates,
Ac claſſes repetunt: & quas fecêre favillas
Illabi mediis gaudent per cœrula velis.
Prima tulit Tenedos graviores militis iras,
Non ſolas deqeſta faces, non rapta metalli
Pondera, ſed prorſus gladii conſumpta furore
Expiraſſe gemit, jugulum puer enſibus affert
Imberbem, tremulumq; ſenex, & tyro comantem.
Hic ducibus ſtrepitu ſedet expectare ſepulto
Iliaci reſponſa ducis. Calydonius heros
Decreto procerum ſocio legatus Ulyſſe
Deligitur, qui dicta ferat, qui pace ſequeſtra
Res Danaûm, Spartæ ſpolium, raptamq; repoſcat.
Interea Æaciden ſtimulantibus excitat auſis
Impatiens laugvere animus, furor intima pulſat
Martius, & reſidem mens arguit effera dextram.
Conſorti ſtudio ſimilis præconia famæ
Telephus affectans, it cuncto robore Mœſos
Prædaturus agros, venientia bella Caycus

Horret, & in voces cantu ftridente remiffas
Plangit alumunus olor; peregrinum Naiades hoftē
Non aufæ vidiffe timent, tutafq; fub undis
Venantur lachrymas, pecudum lafcivia ceffat,
Jam ftudiofa minus & floris, & amnis, & umbra
Quippe ferox urbes, flüvios, & pabula turbat
Æacides: rapitur quicquid vel dulce, vel ufu
Egregium, vel Marte juvans, vel pace decorum.
Cultores juga quefta boves, fugiente colono
Decifum mirantur opus, mirantur abactum
Septa gregem,quacunq; vagum fert impetus hoftē,
Caftra, calæ fulci, fylvæ teftantur Achillem
At Teuthras poftquam bella increbefcere fentit,
Civiles miferatur opes, & nümina ruris
In prædam ceffiffe novam, parat arma, cohortes
Excitat, & totis occurrit viribus hofti.
Æacides oblata novæ præconia palmæ
Lætatus, variis intentas raptibus alas
Colligit, hoftilemq; addens in verba cachinnum,
Siftite, ait, defenfor adeft, nec plura, feroxq;
Fertur in objectum nimbis torrentior hoftem,
Enfe metens medios, proftratamq; impete primi
Calcat equo victore aciem, res plena ftupore,
Turba fugit, folufq; fugat, fic igne trifulco,
Tota pavet percuffa domus par ætheris iram
Sentit, at in cunctos fpargit fua fulmina terror.
Haud aliter diræ furiis exterrita dextræ
Barbaries, dat terga viro, fugientia primus

Indi-

Indice deprendit curru veſtigia regis
Æacides, quippe æris apex radiantis inertes
Accuſat latebras, ô noxia gloria rerum,
Tuta inopes fatis adimit fuga, notus in auro
Dux timet, & vitæ diſcrimina ditia geſtans,
Cum vellet latuiſſe, perit, jam ſæva cruores
Haſta alias hauſura fluit, primuſq; tepebat
Mucro, cum parma repetitum Telephus ictum
Depulit objecta, dextramq; eluſit inanem.
Miſſilis innocui mixta pudor aſperat ira
Æaciden frendit, atq; ignoſcentia torquens
Lumina, Tunè meos (ait) auſus fallere niſus,
Et ſteriles quaſſare minas? ſic fatus, in ipſum
Vibraſſet jaculum, timido cum Telephus ore,
Heu parce, exclamat: procul hæc fortiſſime gentis
Myrmidonum, avertant ſuperi proba, tunè bis ullū
Percuties hoſtem? quiſquis vel ſenſit Achillem.
Sufficiat cecidiſſe ſemel: tua fulmina paſſus,
Alterius non mortis eget, cur torua minaris?
Non tegimus, meruitq; tamen, ſcis ipſe tumultus
Et Diomedæi furias gregis, atra nefandi
Septa ducis, longis hominum ſatiata ruinis,
Herculea ceciêdre manu: ſtratoq; tyranno
Tutior in patriam reducem Teuthranta regreſſus
Poſt crebras acies, & quorum bella recepit.
Ipſe triumphanti ſatus Hercule. Meſa ſubiſſe
Regna duciſq; hoſpes blandos coluiſſe penates
Gratulor, ac memini gratus: ſed dicere longum
Quæ

Quæ mecum geſſit, patris memor, hinc mihi lapſum
Erigere, & gladios tutari cura timentum,
Et tardum veniſſe pudet, quin Martia magnum
Si manus Æaciden, ut non ſenſura fatiget
Membra trahit, faciliq; animo nova ſvadet Erinnys
Ultra velle nihil, nil citra poſſe, ferendum eſt,
Cedimus, hoſq; artus gelidos, hæc credimus exta
Ultrici calcanda rotæ ſic fatus, in altum
Sublato clypeo, pavidè tamen, ultima queſtum
Fata ducem monſtrat, friget cruor, oraq; pallent
Eluctante anima, tandem miſeratur Achilles,
Agnoſcitq; manum & mulcta ſera furorem
Temperat, & pœnis tandem ſatiata ſupremis
Illaudata feros differt clementia motus,
At Teuthras ubi dura ægris incedere fibris
Altius, & certam minitantia vulnera mortem
Sentit. Habe Mæſos, inquit, te Telephe noſter
Poſcit honos, quis enim propior, quis dignior hæres?
Me tuus Alcides Thracenſi urgente tyranno
Edomitis abſolvit equis, ſceptriq; quietem
Sanxit, & armatos in pacem reddidit annos
His meritis tibi regna damus, quæ perfida fati
Ira negat prædata mihi, te lenius aſtrum
In ſenium ſeroſq; dies & ſumma reſervet
Tempora, regno hilarem, vix hæc, & frigida feſſis
Atropos inſerpit labris, turbata rigeſcunt
Lumina habent ſenſus, vivoq; exutæ calore
Membra gelu lethale ſubit, mens libera tandem

Evo-

Evolat, & ſocios redit inſpectura Triones.
Telephus ut vacuos ſpiranti ſangvine vultus
Conſpicit, effuſo miſeranda in vulnera fletu
Funus herile ſtruit, quicquid vel mulcet odore,
Vel virtute ligat nervos, artuſq; fluentes
Continet, aggeritur buſto, compeſcit hiantem
Dextra premens ictum, fluctum domat arcta cruorẽ
Faſcia, & obſtruſos fruſtra negat ire meatus.
* Regia conſpicuis moles inſcripta figuris,
Exceptura ducem, ſenis effulta columnis
Tollitur, electro vernat baſis, arduus auro
Ardet apex, radioq; ſtylus candeſcit eburno.
His excepta ſilex artus clauſura verendos
Jaſpide veſtitur, gemmæ quas littoris Indi
Dives arena gerit, aurum quod parturit Hermus,
In varias vivunt ſpecies, ditiq; decorum
Materiæ contendit opus, quod nobile ductor,
Quod clarum geſſit, ars explicat, ardua pandit
Moles, & totum reſerat ſculptura tyrannum.
Prima ducis facies naſcenti vagit in ære
Sidoniis variata togis, cunalis in altum
Surgit honos, trepidæ circum nutrixq; parenſq;
Alterno teneros demulcent ubere fletus.
Proxima laſcivis inhians diſcurſibus ætas
Nunc labente pila, nunc ſe volvente fatigat
Buxo, nunc arcu credas curvata coire

* *Deſcriptio Ieuthantis tumuli.*

Cornua, & excussam, nervo stridêre sagittam.
Tertia magnanimi loquitur primordia regis
Accingens pictura virum, regale verendas
Accendit diadema comas, sublime sedentem
Fulcit ebur sceptroq; manus radiante superbit.
Ipse nova vultum pictus lanugine, regni
Maturum dispensat opus: belloq; togaq;
Alternus, rerum vario poscente meatu,
Commodat aut fremitus armis, aut otia paci.
In serum perducta senem pars ultima canos
Colligit, & raris sulcantur tempora rugis
Progressos testata dies: procul exitus ævi,
Mors longè, & Lachesi stamen vitale ministrat
Nondum fessa, soror, at fato major Erinnys
Præcipitat festina ducem, tres ære propinquo
Hærent irata Pelides fronte, precanti
Telephus, exanimi Teuthras, pallere videres
Ora, genas, aurumq; mori, cruor altus in auras
Exsilit, & minio rorant tabulata fluenti.
Hæc super exiguo breviter collecta sigillo
Fata viri, quis regis honos, quis funeris autor,
Quod fatum, quæ causa, patentq; hoc singula scripto
Dux Theutras Mœsis, decus arvis, passus Achillē
Ense necem sensit, sceptri defensor aviti.
Postquā busta ducis nigro deplanxit honore
Fida manus, mœstaq; ululatum voce quievit
Supremo jam fine vale, redeuntia ducit.
Agmina Pelides, urbes invitus amicas

Tele-

Telephus & ſocios recturus linquitur agros:
Ipſe quidem plus pace acies, minus otia bellis
Poſcat, & armatæ malit diſcrimina vitæ,
Spe palmæ, at populi dilecto principe nudi
Mœrentes vicêre preces, ut regis iniret
Excubias, molemq; datam: monet ipſe futuri
Providus Æacides, cultis inſidere regnis.
In ſulcos laxare ſolum, producere fruges,
Et miſſa ſocias ſolari meſſe cohortes.
Sic paribus vincet titulis, cum ad prælia donet
Ille duces, ipſiq; manus: hæc fatus Achilles
Ad Danaos maturat iter, ſed venerat antè
Dux Ithacus bellum referens, pacemq; negatam
Nunciat, ægreſcunt, indignaturq;, Pelaſgi,
Bella petunt, hæſiſſe dolent, & frondibus hoſtes
Palladiis tentaſſe pudet, jam libera major
Laxat frena furor, ſtimulat Bellona volentes,
Mars cogit dubios, lugens per caſtra furentis
Interpres animi clamor tonat, arma capeſſunt,
Arma fremunt, augent lituiq; tubæq; tumultum,
Et reſponſuris invitant vocibus Echo.
Iſſet in Jalicos claſſis Pelopeja portus
Non eſxpectata venia ducis: at nocituras
Nox nectit vicina moras, humilemq; ſoporat
Decrepitus Titana dies, & anhela ſub undas
Admittunt radios Athlantia littora feſſos.

LIBRI QUARTI FINIS.

HYPOTHESIS LIBRI QUINTI.

Prælia ſub Priamo, ſub rege Agamennone Quintus
Convocat, & primò cadit audax Protheſilaus,
Patrocluſq; armis mendax, & Merion acer.
Tum Paris aggreditur Spartæ cum rege duellū,
Et latus Hectoreum Pelides perforat haſta.

DARETIS PHRYGII
De Excidio Trojano.
LIBER QUINTUS.

ARdua jam mediam pulſans Latonia cœlum
Noctivagos librabat equos, ſomnoq; profundo
Exarmata quies facilem ſpondebat ituris
Portum, ſvadebatq; dolos, dux ipſe Pelaſgis,
Nocturnum diſponit iter, non verbere pontus
Erigitur, non voce ſonat, juſſoſq; ſilere
Sulcat inoffenſos tacito ſub remige fluctus
Inceſſum furata ratis: ſic cæde ſuorum
Exigua, innocuum lucrari fortè triumphum
Grajugenis fortuna dabas: at Martia Naupli
Proles erubuit fraudes, & furta negavit.
Ultimus hic Danaûm ter dena claſſe ſecutus
Signa ducum, longaq; exuſtus febre, moratas
Inachidis excuſat opes, ſeq; obice morbi
Tentum, quamprimùm licuit veniſſe fatetur.

Hanc

Hanc ipſa ad vocem facies facit, aſpera paſſo
Conjurat pallor, & vultu teſte merentur
Verba fidem, at ſoſpes animus, nulloq; dolore
Fractior, imbelles artus, nervoſq; negantes
Exigit, & Martem manifeſtum ſvadet Achivis
Ocyus audentem virtus animatur in iram.
Jamq; dolis viciſſe negant, ſua quemlibet angit
Gloria, qui jaculis longè, qui comminus enſe,
Qui pede, qui curru fidit ut claſſe mereri
Promptior, agnoſci petit, exſpectatq; videntem
Percuſſura manus, & ſi quid nobile poſſit,
In tenebris ſepelire pudet, ſic Martia pubes
Mutatis hæret animis longiq; ſoporis
Impatiens noctem vigiles expendit in uſus.
In ſomnum non fracta levem, ſeſeq; viciſſim
Excitat: hi tenſos librant in bella lacertos,
Intenduntq; gradus pugiles, pars plurima vultus
Excertat, partem veſtis furatur ahenæ
In ſummos perducta pedes, ac deniq; juſſi
Armantur pariter galeâ caput, ægide pectus,
Enſe latus, pharetris humeros & ſtipite dextras.
His inſtructa fremit in lucem turba morantem
Vix paſſura diem, noctis diſpendia damnant,
Et venerem Titone tuam, cum prævia Phæbi
Amplexu gelido & ſterili tardentur amore.
Vota virûm valuiſſe putes, intenſior orbem
Spiritus aſtriferum torquet, ſemperq; negatis
Elidens modulis ſtupidas novus impetus aures

Phæbeum maturat iter, sensêre Pelasgi.
Sensit & ipse ducum princeps Ægæus Atrides
Adventare diem, mox nectens ordine puppes,
In mediis alnosq; breves & vela minora
Claudit aquis: at turrigeras pelagiq; potentes
Et bellare avidas primos disponit in ictus.
Cumq; metu prædone animi perculsa labarent
Agmina, & horrorem præsens instantia Martis
Incuteret, dux orsa movet, queis integrat iras.
Spem sancit, firmat animos, & roborat ausus.
* Ultores Danai, non nectere verba necesse
Et longas cumulare preces: sese excitat ultrò
Virtus, at quisquis pavidus, timor obstruit aures,
Et precibus mens tarda negat, quin aspera rerum
Ni longum meminisse foret, sibi publica bellum
Causa daret: patimur cuncti, nec sola maritos;
Urit hyems, taceo veniales hospitis ausus,
Et castum prædonis opus & numina læsa
Conqueror: at solus in nostras sufficit iras
Laomedonteæ pacis rigor, hæccine regum
Et pietas, & clara fides? ô barbara verè
Sævitia, exemploq; carens, & cognita nulli
Asperitas, quisnam nudæ clausisset arenæ
Hospitium miseris, quos obvia Scylla, secuta
Tellus, & socio fregit Thetys hospita fluctu?
At Peleus Telamonq; illic, genitusq; tonante

* *Agamemnonis Oratio.*

Am-

Amphytrioniades, & quos habuisse superstes
Græcia gaudet avos: minus haud tamē ausa prophano
Barbaries, sprevitq; Deos, generosq; deorum.
Dii melius, nec se lenta Tirynthius ira
Et superos vultus, paucis in bella secutis
Accessit, vicit, rediit: bellum Hercule nullo
Nunc erit, & nullum sensit prior hostis Achillem.
Quòd si gentiles animos cognoscere certum
Certantesq; ausus, dignetur nemo priorem,
Erubeat sibi quisq; parem, quare inclyta pubes
Tende per imbellem gladiis ultoribus hostem,
Tende agè juro deos, facilem sine Marte triumphū,
Ignavumq; queror: quid virtus alta, quid arma
Bellica? terga dabunt omnes, & pectora nullus.
Perjurumne viri pœnas solvisse tyrannum
Sufficiat? cecidit non exorabilis hostis,
Infestus superest hospes: violentior ille,
Hic pejor, gladios igitur nec tela recondat
Debita, terrarum quisquis commercia, quisquis
Integrare thoros castosq; impunè sopores
Jungere securus curat, quid plura? voluntas
Omnis in effectum causas habet, ite volentes,
Ite duces, arces nullæ, nulla arma morentur:
Et quos ter quina fregit Tirynthius alno,
Innumera calcâte manu, sic fatur, & ortum
Nox aperit proscripta diem, perjuraq; labi
Pergama visuros vigiles properantior axes
Sol rapit, ipsi etiam lentas causantur habenas.

Quadrijugi, voluiq; rogant intenſius orbem.
Mira fides, ortus velox, & veſpera nulla,
Luciferiq; ſui ſolis rota prævenit ignes.
Utq; hilaris grato lux omine firmet Achivos,
Non oriens Titana rubor, non pallor Eous
Inficit, at puro, qualiq; in luce ſuperbit,
Cum ſine nube dies & ſe confractior umbra
Colligit in conum; tali pater ore ſerenos
Orditur curſus, miratur Achæa juventus,
Duxq; iterum: Superiſne manus & tela negemus
Inachidæ? vocat ecce Deus, ſol lætus anhelis
Inſtat, equis Neptunus aquas ac prævia mollit
Cærula, credo equidem, vires à gentibus iſtis,
Laomedonteo poſcunt ex hoſte triumphum.
Sed moror, exclamant Danai, totoq; reſultat
Vox animoſa freto, non ſic inſibilat Auſter
Frondibus hybernis, non tanto verna fragore
Flumina præcipitant montes, non flumina cautes.
Senſerat Iliacæ cuſtos Tritonidis Aſtur
Adventare rates, celeriq; incerta per urbem
Diſcurſu rapiens veſtigia, nunciat arma,
Arma iterat. Quonam uſq, viri torpebitis? inquit:
Ecce hoſtes, vidi ratibus tectum mare, jamq;
Littus habent, querulas tollit plebs credula voces,
Ac pueri lachrymis matres & voce ſecuti
Contendunt gemituſq; æquant, acuuntq; tumultū.
Hector ut Europam totis adnare carinis
Audiit, extimuit paulum, mox mente reducta

Colli-

Colligit in vires animum, ſeſeq; quòd ardens
Auſa fugam virtus, peregrino pulſa timore
Ceſſerit, incuſat, rapit ilicet arma, nec agmen
Exſpectat, ſolusq; effracto cardine, ſolus
Evolat: exſiliunt pariter, longèq; ſecuti
Stipantur Phrygii ſævos diffibulat urbem
Murus in egreſſus aut vix irer unda meantum
Expedit anguſtum, tot millibus arva ſecundis
Troilus anticipat ſpatiis, hoc tertius acer
Æquat Alexander, reliquos fert impetus idem,
Sed minor aut pedibus virtus, aut curribus ardor.
* Primus ut Argolicos conſis certantibus Hector
Denſius allabi cernit. Quonam impetus? inquit.
Siſtite Tantalidæ, mediis concurrimus undis,
Tutores habet unda ſuos. Sic fatus, anhelos
In fluctus admittit equos, propiusq; minantem
Phillacidæ puppim torta tranſverberat haſta,
Affigitq; Lycum clavo, paucisq; cachinnum
Aſperat, I pelago tutus, non te æquor & Eurus
Excutient, ſtabili pinum moderabere dextra,
Phaſiacas dum quæris opes, turbantur Achivi,
Intendunt animos Phrygii, ferit aſtra tumultus
Diſſonus, aſt Echo dedignans barbara Græcum,
Frangit inexpletas iterato murmure voces.
Ocyus Hyſiphides vacuas rectoris habenas
Intuitus, ſubit ipſe, & toto robore pinum
Præcipitat: volat illa, & ſeſe infringit arenis.

* *Exordium conflictûs.*

Ira-

Iratæ similis, ac sicco naufraga portu
Explicat Heminidas, mox cùm perjura teneret
Littora, & invisas primus calcaret arenas.
Prothesilaus, ait, Iter hac, hac ibimus [inquit]
O! socii, non tota Phrygum quam poscimus Ide,
Communes partimur agros, hæc fatus, in enses
Irruit, & quà facies instat densissima, durum,
Extorquet violentus iter: tres littoris Indi,
Quinq; Arabes, septem Nabatheæ gentis alumnos,
Consumit victrice manu, dabat obvia Phorbas
Pectora, & intenta veniebat turbidus hasta.
At ferus Hysiphides præciso stipite ferrum,
Decutit, ac maculis ruptis & casside fracta,
Pectore dividuo perducit in ilia telum.
Stabat in occursu Pelagi Chaldæus Orontes,
Dumq; rates inhibere parat suspensas in ictum,
Præcipitem, mersura Thetys, premit Inachia pubes,
Desuper, ille parens in gyros brachia spargit,
In mediis se librat aquis, nunc exserit ultrò,
Nunc caput immergit pelago, varioq; timore
Aut longos haustus, aut tela prementia vitat.
Tandem dum fluctus gravior rimatur opacos,
Incidit in puppes, frontemq; infigitur uncis.
Acrius incumbunt Phrygii, contrà, ira furentes
Et pudor Argolicos armat, nunc littora perdunt,
Nunc dubiam lucrantur humum, bibit unda cruorē
Alternum: at Phrygio Græcus sociare superbit.
* Emicat immodicus animi, metuensq; priorem
* Protesilai cædes. So-

Solus in extremum jamjam proruperat agmen
Turbidus Hysiphides: populum vaga turba secutũ
Non unam sævire manum creditq; pavetq;
Ceu mars ipse premit, acies prævectus utrasq;
Liquerat, ardebatq; arces calcare relicti
Contemptor belli, sed anhelo fervidus Hector
Objicitur:Quonam usq;? hic terminus,inquit,& ensẽ
Nudat atrox, conumq; nihil tutante pyropo
In pectus consedit ebur: mox intonat orsis,
Quisquis es, i felix reliquisq; superbior umbris
Hectorea mactate manu: ruit unicus ille
Laodomia tuus, fidæq; oblitus amantis
Non timidas in bella preces, non mollia jussa
Pertulerat: primos teneri respectus amoris
Cessit ad armorum fremitus, at nescia fati
Hemonis absentem suspirat mœsta maritum,
Et non sensuros vultus premit, oscula figens
Cerea, difficilesq; deos in vota fatigat
Ne quicquam, jacet ille quidem, lapsusq; jugales
Impedit, & curru non agnoscente fatiscit.
Hunc ubi præcipitem volvi videre Pelasgi,
Pennificat formido gradus, stimulatq; volucres
Ire pedes: cunctis iter est ad littora longum,
Et tardum repetisse rates. At fulminis instar
Prosilit Æacides, & formidabile frendens,
Proh pudor Inachidæ, vixdum præsensimus hostes,
Et jam terga damus, inquit: sylvæq; trabalis
Robur, in obliquas quæ carbasa porrigit auras.

Cor-

Corripit, atq; iterat. Nunc ô nunc nemo ſequatur.
Solus eam. vincam ſolus, fugit ilicet omnis
Turba Phrygum: non arva modo, non littora nudāt,
Sed quicquid pontum Phrygias interjacet arces,
Acceſſu vacuo Danais patet; ultimus Hector
Tanquam inſtans cedit, indignatuſq; moranti
Arva legit greſſu, cogit moderantius ipſe
Æacides flectitq; gradum, & quia neuter in armis
Diſſimilem ſperat, hærent, audentq; paventq;
Alternoq; truces obliquant lumine vultus.
Ilicet in patulos acies diffunditur agros
Argolica, & quo caſtra ſitu, quo milite tuta,
Qui teneant portus, belli moderator Atrides
Digerit iſte iterum raptis ad claſſica turmis
Orditur pugnas, jamq; æmula prodit in arva
Bellatura cohors: contra ſic [ſimpetus urget]
Non defenſuri properant Phryges, atq; ope ſpreta
Quam turres muriq; dabant, ſeſe hoſtibus ultrô
Dardanidûm pubes æquat, bellumq; laceſſit
Ipſa prior, nulli jam reſponſura vocanti.
Ut ſibi diſtrictis acies vicina propinquis
Et campo propiore ſtetit, non ignibus Æthna
Ruptis non geminis Iſthmos lacerata procellis,
Non ſic Hippotades antris fremit, omnibus auſus
Auget, & accendit iram fragor: improba nullum
Fruſtratur belli virtus, auriga jugales,
Seq; pedes ſtimulat, jam dextras undiq; miſcent,
Et quærit ſibi quiſq; parem: ſæpè impare pugna
Aut

Aut uni plures, aut pluribus obviat unus.
Aſpera jam cunctis calet ira, bipennibus enſes
Contendunt, haſtæ jaculis, glandeſq; ſagittis.
* Ecce Meneciades Chironis cura ſecunda,
Alter amor, ſimilemq; animis indutus Achillem,
Proſilit in medios, ſtabant tres pectore juncto,
Aptabantq; manus in vulnera, prævenit auſus
Impactis Patroclus equis, umbone Diarcem,
Hyſiphilum curru proturbans, Hyphiton enſe.
Hector in obliquas revocato lumine turmas,
Indignans cecidiſſe Phryges, ruit impiger haſtam
Fulmineam quatiens, juvenemq; * *
Vectori colliſidit equo, conſuta regenti
Membra refert ſonipes, at feſtinantior inſtat
Priamides, prenſoq; jugo violentus in auras
Contorquet plenum galea caput, ipſa ſupremis
Vox nondum defuncta ſonis, exile ſuſurrat,
Ultor ubi Æacides? tandem ſuper agmina longè
Labitur in Dorylam caſſis, reliquoq; potitus
Corpore Priamides, ſpoliis auroq; ſuperbus
Iſſet: * at audentem contra ire Meriona præceps
Perſequitur: tuq; & vita ſpoliabere & armis,
Quiſquis es, exclamat: cumq; poſt vulnera multa
Incubuiſſet ovans rapturus opima, Meneſtes
Advolat, & ſocias animo indignante ruinas
Hectoreum ferit enſe femur, fremit inſcius ille,
Nec dolor in ſenſum vires habet: ac juga ſpectans

* *Patrocli cædes.* * *Merionis cædes.*

Cru-

Crurum tincta notis, dubius tamen unde, suusne
Fluxerit, an cœdis Danaæ cruor, emicat axe
Infensus, poscitq; faces, atq; hoste repulso
Igne rates populante premit, subit obvius Ajax
Jam tandem erumpens, & apertis Hectora campis
Irato mucrone petit. trux ridet Erinnys,
Cognatum lucrata nefas: at concita cæcos
Errores aperit pietas, nec passa furentes
Communes declarat avos, illi arma facesq;
Sponte relicturi, galeas ad mutua laxant
Oscula, mutatisq; petunt tentoria parmis.
Interea stragis sociæ concessa sepulchris
Pax erat. Æacides cæsum lugere sodalem,
Hemonii Hisiphidem, te Creta paterna Merion,
Quisq; suos, jamq; ingeminos processerat annos
Fœdus: at in tanta populus quam sanxit uterq;
Pace, alia Inachios turbat discordia reges,
Et regni dubium culmen quatit. altera semper
Jura premens livor, & nil insigne cupido
In socios cessisse ferens, coguntq; premuntq;
Naupliadam, ille queri, cæcis quod nutet habenis
Imperium, quòd non tantis inscitia curis
Plistinia accedat quòd bellis segnior usus,
Quodq; alio miles egeat duce, singula texens
Obliquat proprium meriti decus, arma paratus,
Excubias, consulta, fidem: sic anxius ambit
Imperium, cæcus nimium, cui sola jubendi

Glo-

Gloria, & innumeræ veniant cum principe pestes.
Dissensu vario certat favor, hic nova semper
Grata magìs veterisq; jugi fastigia tolli
Clamant: ast aliis notos mutasse molestum,
Et longum didicisse novos, sententia nondum
Certa ducum, redeunt enses, & pace sepulta
Arma iterum rapiunt: conjectis undiq; signis
Collidit Bellona, viros, hinc Troilus audax,
Fulmineusq; Hector, & formidandus in armis
Æneas: proles contrà suspecta tonanti
Æacides, gemini Atridæ, Calydonis alumnus,
Certantes acuunt iras, sic Auster in Arcton
Irruit, in Zephyros Eurus, sic Æolus armat
Hybernas acies, Æthnæaq; fulmina vincit.
Hector continuò treis fundit Marte, Bòëten
Saxis, Archilochum gladio, Prothenora telo.
Indignata ducum virtus coit omnis in unum,
Unum omnes contisq; premunt, gladiisq; lacessunt,
Et quicquid cupidis Mars usu, Mulciber arte
Ingessit fatis, cumulant, tortoris Iberi
Jactus, insidias Parthi, libramina Daci.
Ille, velut Siculis insurgens umbo procellis,
Instanteisq; premit, atq; iras ridet inanes.
* Parte alia Paridem Phrygios in bella vocantē
Infestat Menelaus agens, paucisq; profatus
Increpat: Agnoscisne hospes? reminiscere tandē

* *Pugna Paridis & Menelai.*

Spar-

Spartanos, coluisse lares: ad mutua veni
Hospitia, heus agè redde vices, duc Pergama tecū
Si qua domi rapienda tibi, quonam usq; moraris?
Junge manus, num terga paras? Ille arte Cydonum
Fretus, Icirea delibat cuspide frontem
Principis: atq; addit. I nunc, accedo petitis:
Sic Helenam visure, veni, crudescit in irim
Plistinides, non sic frendunt rapta ubera tigres
Hyrcanæ, Scythiciq; sues, Mauriq; leones.
Astiterat socias Ajax Locrensis in iras,
Hortaturq; ducem. Jovis igne citatius ambo
Objectam spargunt turbam, mediosq; per enses
Accelerant, prior Alipedes Menelaus ituros
Anticipat, prensisq; jubis, simul ibimus, inquit,
Sed jam Troja procul dixitq; & stare negantes
Infrenos impingit equos, pallere videres
Primiaden, cum jam celeres moderatus habenas
Hector adest, parmamq; comes Cythereius heros
Objicit, ereptumq; hosti Trojamq; reductum
Restituit thalamis, & bellis mollibus aptat.
Macte Paris, sic terga paras? sic prælia linquis,
Atq; hostes ignave tuos? at Martius Hector
Fraternas acies & bella vicaria tractans,
Vulnerat, interimit, fugat, indefessaq; mutat
Spicula ubiq; potens & ad omnes integer ictus,
Labitur Horcomenes jaculi sude, Schedius, ense
Helpenor, Dorius conto, Polyxenus arcu,
His addens saxo Palamenem, Opistriphon axe
Protri-

Protritum, septem mortes manus explicat una.
Hausisset Phimachus Phegiæ latus, at ferienti
Successisse timens, victor dat terga, fugacem
Æneas oculis, & arundinis arte secutus
Trajicit, & fixæ (moriere) immurmurat auri.
Haud minus Æacides dextra stomachante, Sileum
Hippolytumq; metit, fatis Eufenius iisdem
Asteriusq; ruunt, teq; ô Xentippe metenti
Tydides socium letho dedit, atq; ità cædes
Alternant hinc inde pares, & funera librant.
Rarior Argolicas ferro populante catervas
Agmina laxabat miles, sociosq; superstes
Quærebat jam turba suos: cum tempore rapto
Imperiale tonans, acies Agamemno labantes
Increpat, hortatur, jubet, instruit, atq; obit omnes
Oebalio sublimis equo, citiusq; futuras
Spondet opes: nec enim Mœsas armare cohortes
Telephus, & plenas Danais dare differet alnos.
Haud mora, præcipitem faciles repetisse tumultum
Ictibus indulgent omnes: jam quærere longum
Quæ feriant, tardumq; dari: manus omnis in hostē
Fulminat, & nulli furit irrita, gaudia Martis
Horrida deliciasq; truces, effervere passim
Aspiceres, fluit huic in vultus pulchra genarum
Rapta dies, mento hic lingvaq; & nare recisa
Informes aperit rictus, his auris adempta,
His manus, his nutans humerus, pars viscera lapsa
Labitur, ac manibus nitens sese eripit hosti.

 Hinc

Hinc capitum largus ſtagnat cruor, indè relicti
In cumulum ſurgunt trunci, curruſq; retardant
Ipſe nec hybernis nivibus, nec grandine verna,
Nec riguo paſtus Symois Thaumantidos arcu
Majores miratur aquas, & ſangvine rapto
Diſſimilis redit in pelagus: Venientia Triton
Funera, & expallens horret Thetis, omnia luſtrat,
Omnibus imcumbit, centenaq; millia volvit,
Et non inventum totiens lucratur Achillem.
Preſſerat occiduum Phæbus jubar, aſtra viciſſim
Aere deterſo, lucemq; ſtupentibus umbris
Sidereum pepigêre diem: conſulta vocati
Argolidæ tenuêre duces, jamq; ibat Ulyſſes
Tydide ſociante gradus, Priamoq; ferebat
Vota ducum, vulgiq; preces, videt Inacha longè
Arma Dolon, creditq; dolos: mox acer ab ipſis
Deſilit excubiis, & quò properabitis inquit?
State viri contrà, pacemnè huc fertis an arma?
Illi Palladiæ legatos arbore pandunt,
Exorantq; aditus: jam regis copia, jam res
Edita, jam redeunt, tres ſuſpenduntur in annos
Dextris bella datis, at fœdera Martius Hector
Incuſat, paciſq; moras, fractiſq; novandas
Inachidis tanto conjectat tempore vires.
Incutiunt alias cunctis belli otia curas,
Hi muris, illi caſtris, utriq; ſepulchris
Invigilant. vix flore ſolum laxaverat æſtas
Tertia, deivcti rabida in diſcrimina campi
Proſi-

Proſiliūt hinc, inde duces, rotat efferus enſem
Hector, & ingentes animos fortuna miniſtrat
Supremos ſpeculata dies, obituſq; decóros
Factis illuſtrat inſignibus. Autiphus antè,
Pòſt Philibus clauſere virum, libratur utriq;
Fraxinus, & medium ſuſpendunt Hectora, at ille
Obliquam revocans haſtam, ſic excipit ambos,
Lugeat ut primus oculos, cerebrumq; ſecundus.
Euphrobum premit Æacides, dumq; ille recedens
Haſtile incuſſum dextra obnitente retardat,
In turbam offendit, ſociumq; Lycaona præceps
Obruit: inſequitur victor, prolapſaq; tranſit
Pectora, conſortes mittens ad tartara manes.
Troilus Ideam rapiens per prælia clavam,
Myrmidonas ſeptem ſolo conſumit in ictu,
Atq; alios ſeptem, ſi ſeptem fortè fuiſſent,
Proturbaſſet agens, ipſumq; ardebat Achillem
Ferre manus contrà: ſed tot centena cadentum
Millia, tam varios gemitus, tam diſſona fata
Indoluit Phœbus, celereſq; immerſit habenas
Mæſtior, & ſubitis conterruit agmina bellis.
Nox erat, & longo defeſſum Marte jacebat
Andromache complexa virum, cumq; aſpera belli
Quæſiſſet, gens utra prior quæ nomina regum,
Qui vultus, quid Dardanidæ, quid geſſeris ipſe
Egregium, paſſusne metus, ſopita marito
Incubat, & primi, nebula ceſſante ſoporis
In veras matura quies purgata figuras

Dira monet. Stabat thalamis junctissima laurus,
Secretos amplexa lares, inimica securis
Hanc à stirpe metit, rorantes sangvine rami
In stratum geniale cadunt, plura ingerit horrens
Monstra sopor: jacet interdum sinè conjuge, toto
Fusa thoro, nudos rursus videt oris hiatus
Saugvineos fædare sinus. Tandem ægra soporem
Rumpit, & horrendis iterat clamoribus, Hector,
Hector ubi? timidaq; manu scrutata cubile,
Ingeminat, meus, hicnè meus? lenire pavores
Ille, & adhuc segnes paulatim demere somnos
Cœperat, illa fidem visis nunc credula donat,
Nunc negat amissumq; putans complexa maritum,
Omnia certa timet, & nil tamen ausa fateri
Armatum prohibere parat: muliebribus ille
Nil monitis motus, timidi præsagia sexus
Spernit, & impatiens bellantibus acer abesse
Poscit equos, tunc verò amens, tunc anxia vocem
Tollit, & occursus omnes rogat, exit & intrat
Incerta, ac parvum matris lamenta stupentem
Astyanacta trahens, calcandum in limine patri
Objicit, induerat galeam, curruq; sedebat
Celsior: Andromache Priamo prænuncia clamat,
Heu morimur, succurre pater, vix principe jussus
Tandem hæret, patiturq; moras, moderante catervas
Memnone, sed nusquam Phrygia sub casside viso
Hectore, mens Danais major, fiducia major,
Major in arma manus, majorq; licentia campi
Au-

Audaces proferre gradus: jam Pergama juxta
Effugiunt Phryges, exclamant matresq; senesq;
Quid pulchrum vel triste fuit de mœnibus arma
Conspicere, & miseris quatiunt ululatibus urbem
Hector in Adromachen oculorum fulmina torquẽs,
Ergo iterum prohibebis? ait: stimulisq; jugales
Præcipitat, non sic Ossæa per ardua Mavors
Armigero terrore ruit, mucrone Gelonos
Fracturus, vel falce Getas, vel cuspide Thraces.
Illum ubi fraxineum rapientem in prælia telum
Agnovere duces, dant illicò terga, retroq;
Svadet iter custos animæ, timor; at ferus Hector
Anticipat celeri fugientia pectora cursu,
In terga irasci spernens, teloq; trabali
Hydomenea petit, cui strage Leontius æqua
Concidit, at Stolenus fugiens, atq; Hysidus instãs,
Spiranti certam referunt in vulnere mortem.
Ultimus Hectoreum Polybetes senserat ensem
Altiùs impressum jugulo, non defuit augens
Supremam fortuna manum, transegerat armos
Armaq; & in geminos discreto corpore truncos
Solus inoffensus clypeus restabat, & illum
Dum victor mutare parat, lævamq; superbus
Argolica Junone onerat, fremit acriùs illa
Marte suo, facibusq; Jovis: sic pronus in iram
Sexus, sic priscus svadet dolor, excitat ergo
Æaciden, non ille quidem certamine, tanto
Tentasset conferre viro, sed Juno negantem

Sollicitat, ſtimulat Pallas, pariterq; precantes
Præbent hæc animos, hæc iras, utraq; vires.
Poſtquam perventum propius, fiſuſq; dearum
Robore fulmineum præceps nudaverat enſem
Æacides, trepidi coëunt hinc, indè manipli,
Ipſaq; ſponte hærent retro data prælia regum
In campi majoris opus: mox ſævus utrinq;
Clamor, utrinq; metus, cupiunt vidiſſe furentes
Et vidiſſe timent: facibus confligere jactis
Fulmina bina putes, prior occupat Hector Achillē,
Fraxineamq; trabem vibrat: volat illa, femurq;
Heus humili nimis acta manu, nimis invida cœptis
Lethiferis, hoſtile ferit pudor aggerat iram,
Fruſtratæq; manus at ſtricto dedecus haſtæ
Purgaſſet gladio, quum vulneris acrior ira
Æacides enſem librat, divumq; ſuaq;
Proturbat virtute virum: vix Martia tandem
Indignante anima, gelidos mens deſerit artus. *
Exemplo turbata Phrygum, laxatur inerti
Turba fuga: trepidis violentior inſtat Achilles,
Ac dextra majore furit, mactatur in ipſis
Millia bellantum portis Tithonius heros
Obliquum pectus & reſpectantia terga
Objicit Æacidæ, læditq; ac læditur ipſe,
Seraq; vix tenebris dirimit nox bella ſecutis.
Hêu hêu quàm tenui nutant mortalia filo.
Nil homini fixum. Fortunæ munera blandæ,
Inſidias non dona reor: ſemperq; timebis

* *Hectoris cædes.*

Sire-

Sirenum turbæ ſimiles, ſub ſole ſereno
Nubem, ſub riſu lachrymas, ſub melle venenum.
Si tibi res, fallit caſus: ſi forma, ſenectus:
Si vires, morbus: ſi nomen grande, litura
Poſtera: & in nullis fati conſtantia donis.
Ipſe etiam has inter tenui virtute procellas
Fretus homo, aut laugvet moriens, aut mortuus aret,
Horum ſi neutrum, certè mortalis, & imos
Fraudatura dies medios metit Atropos annos.
Occidit hêu ſpes una Phrygum, Mavortius Hector
Occidit, æternos cui ſi natura dediſſet
Artus, ipſe ſuos jaculandos Juppiter ignes
Otia tracturos ultrô mandaſſet, at illum
Imperiis ſenſere ſuis obſiſtere Parcæ,
Senſere, & viridis creſcentia fila juventæ
Collata rapuère manu, ultore perempto
Facturæ Phrygiam licito majore ruinam.

LIBRI QUINTI FINIS.

HYPOTHESIS LIBRI SEXTI.

Anxia Sextus habet dubio certamina Marte,
Cæduntúrq; duces, Sarpedon, Deiphobuſq;
Troilus, & ſequitur Palameden, Memnona Achilles,
Et Paris, urbs capitur, Priamus rex mittitur umbris
Fletq; Hecuba, ac Danaum reditum complectitur
idem

DARE-

DARETIS PHRYGII
De Excidio Trojano
LIBER SEXTUS.

Segnior explicitis mærentia signa catervis
Troja movet, rotant clypei, cristæq; gravantur
Luctibus, angustum crebris singultibus aurum
Rumpitur, arma nocent, toto nihil agmine lætum,
Dulce nihil: signa ipsa minus pugnantia vento
Mentitis laxant animas, morituraq; tardis
Flatibus inclinant faciles langvere dracones.
At sonipes, animi non argumenta superbi
Iratus iterat voces, non pulvere capto
Multiplicat suspensa levi vestigia gyro.
Non fremit incertum, sed tota immergitur arvis
Ungula, submittitq; equitem, aurigamq; perosus
Avertit collo venientia frena reflexo.
Stridentem litui gemitum, stridentia reddunt
Jussa tubæ, nullaq; sonant, non triste tumultus
Talis in adversas trahitur duce Memnone turmas
Mœsta Phrygum pubes, poscunt remeare, negantq;
Uenturusq; Hector semper post terga videtur.
Qualiter Hyblæi mellita pericula reges
Si signis inîere datis, labente tyranno
Alterutro, viduos dant agmina stridula questus

Et

Et subitum vix nacta ducem metuentia vibrant
Spicula, & imbelli remeant in prælia rostro.
Jamq; Argiva phalanx, lætis jactantior armis,
Prodierat, tollitq; animos celeremq; triumphum
Hectore dejecto sperat, dux digerit arma
Naupliades voti compos, curasq; timendas
Induit, & duro fruitur miserandus honore.
Atrides regis insignia ponit, & ultrô
Exuit imperium, nec enim venisse fatetur
Jure ducis, fieriq; satìs, si principe quovis
Freta cohors, redeat post diruta Pergama victrix,
Nil refert, quis, ubi, quando, sed qualiter, & quid
Factum: durabunt actus, & transiet autor.
His addit, se jure sui potiore Mycenis,
Et stabilem regnare domi: nec signa priora
Sic ambire cupit, ut fesso pectore malit
Et vigiles Lunas, & duros ducere soles.
Martius Æacides mutatas solus habenas
Arguit, at rapto Palamedes Marte superbus
Vincere contendit titulis, regemq; mereri.
Ergo iterum còëunt acies, properatur utrinq;
Et medius decrescit ager, rapit agmina juncta
Sarpedon, Lyciosq; enses, & turbine primo
Hostibus invehitur qualis vexilla Gigantum
Centimanus Briareus Phlegræo in vertice tollens,
Imbelles risit Jovis ignes, tela Dianæ,
Martis equos, Phæbi pharetras, & Palladis angves.
Haud minor insurgens heros Jove patre superbus,
Juno-

Junonem Argolicam congressaq; signa Deorum
Spernit atrox: quacunq; vagos raptatur in hostes,
Millia multa manu proturbat, millia multa
Axe superjecto fulmen sævire paternum
Credas, & tonitrus curru stridente minores.
Occidit infelix Gobius, nec lætior illo
Triptolemus, svetusq; feras incessere telis
Mœnalius Cormas, quartus tot funera Perses
Ultus obit lævos misso Sarpedonis armos
Transierat jaculo: sed vix tamen ille coactus
Tandem vertit iter, vultuq; in terga rejecto
Ad cunctos hæret gressus, semperq; redire
Ardet, non posse indignans, pulsatq; vetantes.
At jam caligant acies, sparsoq; cruore
Deficiunt, quamvis victuro vulnere vires.
Interea Mœsas properat laturus aristas
Demophoon, Garamas, & te Thesida volentem
Tertia cura vocat. Danaas hebetaverat iras
Belligeræ messis, viniq; audacis egestas,
Et vires depasta fames, pax arma soporat
Inq; annum jurata fides: utriq; cohorti
Utraq; castra patent, fas civi Graja videre
Carbasa, fas hosti Phrygios lustrare penates,
Dum sic alternos aditus: alterna pererrant
Mænia, natarum sacrâ comitante catervâ
Hectoreos manes Tymbreæ in limine portæ
Placat uterq; parens: cinis annuus, umbra laborans
Solantes epulas lamentaq; festa reposcit

Et tu-

Et tumuli lugubre decus, ſtant crine ſoluto
Iliades, hæc quæſta virum, natum altera, fratrem
Multæ, nunc pariter lugent, nunc ſingula plangunt.
Cumq; aliis in pallorem candore ſepulto
Febricitent vultus, ſola ore Polyxena floret
Soſpite & in faciem nil audent nubila mentis.
Hanc videt, hanc optat, & acuto Cypridis arcu
Saucius Æacides ſubitos ſuſpirat amores.
Utq; uſu majore Venus producta, tenellos
Spondæo ſtabilit animos pede: ſic nova voti
Cauſa, pares ſtimulos, ſimileſq; immobilis ignes
Haurit, & in thalamos periturum emollit Achillem,
Ergo nec armorum meminit, nec prælia curat,
Jamq; redire velit patrioſq; reducere cœtus,
Et totam turbare aciem, ſi regia detur
Virgo ſibi, conſorſq; thori, pretiumq; receſſus,
Inſtruit his Phryga Sergeſtum, cui proxima in omne
Arcanum regale fides! pacemq; futuram
Aſſerit, & totum cogendum in fœdera Martem,
Si reduces ſua Myrmidones præcepta ſequantur.
Audierat Priamus, remeat Sergeſtus Achilli.
Pacta placent, ſed bella nocent, faciliq; repulſa
Creſcit amor, lex hæc: Virgo, ſi publica ceſſent
Arma, viro patrias nuptum tradetur in oras.
Haud mora, cōmunes reditus monet, & grave fruſtra
Diſcrimen paſſos queritur, nec judicat æquum
Unius in thalamum & muliebria prælia tantos
Conjuraſſe duces, Spartanaq; damna medendo

Et po-

Et populum & reges longis consumere bellis.
Grata quies vulgo; Martisq; remissius ardens
Dignatur consulta furor: sibi crastina quisq;
Vela parat, sed mox accepto tempore, partæ
Maturant cum messe rates, quas donat Achivis
Telephus, infensusq; tamen quod signa sequantur
Altera, ductoresq; novos, Agamemnone pulso,
Vixdum contigerant portus, mutata tumultu
Agmina crudescunt alio, gladiosq; reposcunt.
Torserat astrivagum pacta in vestigia Phæbum
Annua mobilitas bissenos passa labores,
Et jam mixtæ acies: solus non prodit in arma
Æacides, solus non militat, obice belli
Vota hærere dolens, alios in prælia cogit
Naupliades, faustumq; suis comitantibus omen
Impete Deiphobum primo petit, utraq; jacto
Tempora transadigit jaculo, funusq; secundum
Dat Phrygio lugere duci, rotat obvia tela
Sarpedon, quantaq; cruor virtute relictus
Sufficit in vulnus, vires expendit in ictus
Prodigus instandi, nec juncta potentia fati
Prorsus abest, clypeum transit, lævumq; cruentat
Obliquo mucrone latus, felicior ensis
Naupliadæ, casuq; manum meliore secutus
Iratis flendum superis Sarpedona fundit.
His hilaris, multoq: aliis jactantior, ecce,
Ecce, iterat, quantos dextra victrice negantes
Ense palam sterno, quid plus testabitur ausum

Phle-

Phlegra Jovem? Libycus Alciden? Thesea Minos.
Talis erat Danâum princeps vix ista, nec ista
Fas plenis jactasse sonis, venit ecce sagitta
In jugulum stridens. Paris hanc excussit in auras
Assyriis melior, æquaturusq; Gelonos.
Dux ruit, & tenues jactatrix gloria fructus
Cum luctu lucrata perit: cunctiq; jacentem
Mixtis confodiunt hastis at rege perempto
Non se turba regit: cæso duce tota sequentum
Debilis ægrescit virtus, arma ipsa videntur
Posse minus, sic si ruptis moderator habenis
Deciderit, turbantur equi, leviora stupentes
Imperia, & subita jam libertate potiti,
Ceu timeant, incerta vago vestigia cursu
Præcipitant, lege hac fugiunt, hoc ordine fusi
Grajugenæ: jam castra procul, jam littora longè,
Seq; terunt vicibus, & qui prior esse supremus
Ast hosti propior metuit: mox pectore nudo
Terga tegunt, armantq; fugam, sed nulla tueri
Tela queunt, classes nullæ, munimina nulla:
Incendunt, sternunt, perimunt, face, carbasa, cõtis
Arces, ense viros, strages vulgatur, Achilles
Dissimulat: sed tot tædas, tot tela secundus
Sustinet Æacides, & defensore laborat
Jam fessus clypeo, tandem miseretur anhelum
Altiùs attollens pontum Thetys, & venienti
Occurrit Phœbo, radios mersura morantes.
Postera vix umbras lux solverat, undiq; in iras
Sur-

Surgunt, armatoq; acclivia tela cubili
Corripiunt, pars in clypeos cervice recepta,
Non madidum Mucronis ebur, non caſſidis umbrā
Solverat, aſt ipſis audax ſopor incidit armis,
It tuba præceptrix Phrygiis, it tibia Grajis.
Et litis litui teſtes, at prompta vocantes,
Anticipat virtus modulos, crudeſcit utrinq;
Pugna ferox: inſtant, cedunt, minitantur, & horrēt.
Alternanſq; vices fortuna ferenſq; triumphos
Exiguaſq; fugas populis permutat utriſq;,
Urget eques pedites, ille inclinatur in ictum
Arduus, hi tollunt humiles in vulnere dextras:
Ibat Abas, cumq, aurigam turbare Melampam
Sublato mucrone parat, ſenſiſſe putarcs
Cornipedes, ſuſpenſa truces in pectora ſurgunt,
Implicitumq; terunt pedibus, ſtratiſq; relinquunt.
Lætior eventu, fiſuſq, Melampus equorum
Auxilio, per arma virum, perq; ora ſuperbo
Fervidus axe volat, calcandaq; corpora quærens
Non vacuum dignatur humum, tandē Anxuris haſta
Dictæi ruit incurvus, propriiſq; fatiſcit
Interceptus equis, clamantemq; ore ſupino
Parcite, nil miſerans ſurdi rota præterit axis.
Anceps pugna ducum, palmæq;, incerta fluebant
Bella diu, donec medios prorumpit in hoſtes
Troilus, horrificiſq; comes victoria ſignis.
Qualis Pelleus, qualis Calydonius exul
Fulmineas habuêre manus, prior ille, ſecutus

Al-

Alter: at hic ſuperat urroq; potentior ambos,
Utq; omnes claudam titulos brevis, Hectore major.
Mirati cedunt Danai, grandiq; procella
Corda pavent, ſecura priùs, pluresq; renaſci
Hectoras attoniti cenſent, ſic Troilus ardens
Fraternas renovat cædes: inſignia dextræ
Victricis ſenſiſſe dolor, ſpectaſſe voluptas
Eminus Alceſtem Niſæum, comminus Idam,
Hunc jaculis, hunc enſe metit, tantoq; ſub hoſte
Nulli turpe mori, pars tanquam occumbere certet,
Inflictis gaudet jaculis, & morte ſuperbit.
Exierant Ithacus, Tydides, Neſtor, Achillem
Flectere: is in tantis unus te Troile dignus.
Sed ſteriles rediêre preces, ſtat linquere fixum
Bella duci, validaq; ipſos ratione rogantes
Arguit: ac bellum pendit, quod cauſa pudori,
Congreſſus damnis, & commoda nulla triumphis
Facta fides ducibus, hortantur fœdus, at obſtat
Cui thalami propior ſpirat dolor, obſtat Erinnys,
Obſtat Parca tenax, fatoq; potentior omni
Bella refert Danais ſcrutatus numina Calchas.
Haud mora proſiliunt ductore Agamemnone læti
Ochalidæ, contrà non ſegnius æquor anhelis
Priamides tranſmittit equis, vectore ſuperbus
Magnanimo ſulcos ſuſpendit in aëre currus,
Et rarô deſigit agros, ut tardior angvis
Triptolemi, Veneris ales, Panthera Lyæi.
Pulvere creſcit ager, putriq; in nube ſepultam

Præ-

Prætexit caligo diem. nec civibus hostes
Internosse datum, donec revocante serenum
Cuspide sangvineos campus consedit in imbres.
Straverat Alcidamas Teucrum Leocontha, trabalē
Eminus intorquens hastam, missamq; secutus
Extrahere ardebat, ut teli laude madentis
Aut formidandus Phrygiis, aut gratus Achivis
Iret ovans, at glandiflua præventus habena
Occidit, & juncto solatur funere Teucrum.
Transfigit Eurypylum jaculabilis hasta Menalcæ
Occiduas ingressa comas, lævumq; per orbem
Exit, & excussum defert in cuspide lumen.
Lernæa Lycidam transfigit arundine Glaccus,
Qua cervix connexa humeris: jugulo illa patenti
Insidias, galeæ clypeiq; intervenit oras
Herculeis imbuta vadis: dupliciq; fatigat
Morte animam, furit hinc virus, cruor inde secut9
Missile, & inciso tandem de stamine certant.
Tersilochum Cromius, Xerses, Creteona, Nisus
Fundit Alym: jacet hic jaculo, jacet, ille bipenni,
Tertius intento districtus palpitat arcu.
Rethea Rhesus agit, Lybidam proturbat Aconteus.
Stemona sternit Ion. Thessandrum vulnerat Argus,
Mactat Achonta Pholus, Pholō, Ebalus,Ebalō Actor,
Actora Thyodamas, & Thyodamanta Lycæus.
Eminet asperior dextra majore lacessens
Troilus Argolicos, & quanquam Anthenoris ensem,
Æneæ jaculum, prædonis tela tremiscant,

Hic tamen hic vincit, & lautos obruit omnes.
Omnia in proprios lucratur facta triumphos.
Miratur Bellona virum, ſtimulatq; furentem
Parcius, & docilem gaudet viciſſe magiſtrum.
Ipſe alias diſcit iras majoraq; Mavors
Prælia, & exemplum divus mortale ſecutus,
Dum Scyticis inſtat, vivos reminiſcitur uſus.
Ibat fulmineo Phrygios mucrone fatigans
Fervidus Umbraſides, hinc nudo Troilus enſe
Diſputat, & mortem, menti quâ cella ſecunda,
Attonito concludit atrox: fruſtra ille laborat
Solvere, cum nequeat fatale neceſſe refelli
Mox premit Aſcalaphum, ruit ille in terga, nec haſtā
Exſpectat, fallitq; manum, ſed fraxinus ictum
Sicca redire negans reperit, figitq; jugalem
Implicitum domino: trahitur retinentibus ille
Scanſilibus, potoq; perit in ſangvine merſus.
Contentus cecidiſſe virum, premit agmina victor
Cœtera Priamides, & terna tricuſpide clavæ
Funera continuat, foſſos gemit Aſtilus armos,
Pectus Irys, vacuamq; excuſis ilibus aluum
Antiphates: ſed ſæva licet, tamen ingvine nunquā
Inferius graſſata manus, tumiduſq; ſuperbit
Poplitibûs cœſis humilem infamare triumphum.
Jam magis ardentem tenues conſumere pugnas
In populum tædet, vulgari tela cruore
Immenſus violare pudor, nec paupere fraudat
Plebem anima furit in jugulos regumq; ducumq;

Acrior, & quà acies ſtipat gemmata cohortes,
Irruit, atridaſq; ambos, ſed diſpare telo
Sauciat, hunc jaculis, illum ſude, tertius enſem
Vulnificum paſſus plangit Calydonis alumnus.
Hos quoq; fudiſſet, ſic nunquam debilis ira,
Sic præſens ſemper virtus: at turba profundo
Interjecta gravem fruſtratur vulnere dextram.
Ipſa etiam cêu nulla dies, ſic rara tyrannis
Atropos, inque anima inopes audacia major.
Nutabant Danai, jamq; his ſpes nulla triumphi,
Nulla fugæ: fati fraudes, commenta deorum,
Et falſum Calchanta dolent, redituſq; ſuſurrant,
Si nulli poſt terga metus, mox Neſtor & ipſe
Peliden Agamemno rogant: negat ille, ſuoſq;
Myrmidonas in bella tamen concedit agendos.
Hos ubi conſpexit rapido prodire tumultu
Troilus, huc tendamus, ait, quænam hæc nova pubes?
Quis novus hic pulvis? an & hos huc deſtinat Argos
Nunc primùm, & totas properat conſumere vires?
At ſuperi melius, deerant quos perdere poſſem
Et Stygio mandare Jovi, gladiuſq; timebat
Otia, ſaxo igitur, poſt fulmina Dardana diſcant
Utilius latuiſſe domi. Sic fatus Hypartum
Ductorem cunei, quâ flammeus umbo coruſcat,
Robore fraxineo figit, teloq; moranti
Præcipitem perturbat equô: celer ille receptis
Greſſibûs, abjectâq; haſtâ, clypeôq; relicto.
Acriùs inſtantem fugit hoſtem: in caſtra recedens
Argo-

Argolica, illic ante ipſum mactatus Achillem
Concidit, & fuſo tentoria ſangvine ſignat.
Frendit atrox, quantumq; ingens dabat ira lacertũ
Erigit Æacides, ac toto robore niſus
Jam reſponſuros parat ictus, venerat antè
Lancea Priamidæ, levoſq; invaſerat armos
Hoſtis: at innocuum fallit Tritonia telum.
Sentit, & adverſos incuſat Palladis aſtus
Troilus, at jaculo melior fortuna ſecundo:
Lædit enim libatq; humeros, & morte petita
Invenit indignans vulnus ſine funere cuſpis.
Tertia majorem cornus potura cruorem,
Rapta manu, venit ecce abies, & ſtridula certos
Molitur jactus celſos præſagus in armos
Erigitur ſonipes: dubium, defendere tentet.
An timeat, gaudetq; tamen perculſus herilem
Anticipare necem, flexo tunc poplite ſenſum
Invitus proculcat herum, fatumq; ruentis
Héu juvat, ille quidem nolit ſed dum gravis urget,
Occupat Æacides, & jam ſurgentia ferrô
Colla metit: longeq; licet decurrere juſſa
Cæſa viri cervix, truncus manet, ipſaq; nondum
Exarmata manus bellum factura movetur.

Quos caſus, quæ fata querar? quos Troile divos?
Troile, cujus opem gemit Ilios orba ſepultam:
Troile, cui meritæ ſpirant præconia famæ:
Troile, quem ſolum dignatur laudibûs Argos,
Macte jaces: quinq; antè Phrygi ſpes publica vitæ,

Vix unum obſeſſæ tutorem Memnona mortis
Stratus habes: funus lacerum ſpoliare parabat
Æacides, prohibet Memnon, miſeræq; parenti
Pignoris egregii lugendos deſtinat artus:
Ipſe aliis lachrymas, ſibi bella, aliiſq; tumultus
Fœmineos, ſibi tela movet, raptaq; ſuperbum
Cuſpide victorem vindex premit: ingvina telô,
Pectora libârat gladio, reſpexit Achilles,
Atq; indignatus furialibûs intonat orſis:
Et te fata vocant. Stygias prior hoſpes in alno
Exſpectat, Stygias pariter tranſnabitis undas,
Dixit, & Eoo jam dudum viſcera regi
Fraxineo perfoſſa ſtylô, niger emicat altè
Sangvis, & exutos mulcet ſtyx frigida manes.
Fit fuga Perſarum fuſo duce, ſævior inſtat
Myrmidonum princeps, ſic mens acceptaq; ſvadet
Vulnera: jam trepidos longum quæſiſſe tyrannos,
In vulgo jugulum violens furit, impetus iram
Mutat, & ultricem cogit plebeſcere dextram.
Ergò fugat pavidos, audentes fundit, inertes
Proculcat, redimitq; brevi longa otia bellô.
Viderat Iliacos fremere in certamine campos
Juppiter, & quanquam tardari pulvere viſus,
Arma tamen cernit Vulcania, ſævit, in hoſtes
Sævire Æaciden, gaudet cum talia ſpectet
Nupturam pepuliſſe Thetim: pallore minori
Phlegræos montes, Phlegræaq; bella timeret.
Ipſa virum ſtrages numerat, natoq; ſuperbit
Imme-

Immemor haud fati, mater ſic gloria vincit:
Charaq; ſuſpendit mirantem prælia fluctus.
Quippe videre juvat, & fas ſperare triumphum,
Cum manus una fugêt, fugiatq; exercitus omnis.
Haud aliter, cum canus ager, cum meſſis adulta
Cedunt æſtivo fugientia jugera vento.
Ultimus effracti tardatus vulnere currus
Cardine jam clauſo ſocios poſcebat Jolas
Ingreſſum, periêre preces, en Pelias haſtâ
Tranſactum affigit foribus, portæq; maritat.
Tandem, caſtra licet longè: pauciq; ſequantur,
Urbs juxta, cedit vix exorante Minerva.
Craſtina luctificos mœſto Thernone jugales
Vix aurora movet nunquam tam prodiga roris,
Tam largè ſatiavit agros, ſtupet ebria tellus
Hos imbres non paſſa prius, ſic ubere fletu
Natum queſta parens, huic adimit axis uterq;
Lux pallens, laceræ nubes, & ſaucia cœli
Forma, nec Idalio ſpirat decor integer aſtro.
Titonum ſupereſſe piget, poſcenſq; ſepulchrum
Odit victuram per ſecula longa cicadam.
Legerat in tumulos Nabathææ meſſis odores
Ambitioſa parens, natoq; ſuprema parabat
Funera: mox volucrum famulantibus aſtitit alîs
Exequias factura phalanx, avis unica phænix,
Et Progne non una venit, cavet Ardea roſtrô
Marmoreum foſſore ſolum, Luſcinia planat,
Pſittacus inſcribẽs apices, Philomela precatur,

Plangit Olor, Turtur tinnit. Junonius ales
Lustrales sparsurus aquas properabat: at omni
Dura Phrygi, revocat metas Saturnia pennas.
Fortè Jovi referens Telchinum tela, videbat
Rex avium, ac viso cunctatur funere, fulmen
Deponens, aliasq; faces incensaq; thura
Corripit, & sacris solatur odoribus aras.
Jam flammæ sopita fames, jam plena soluto
Urna viro, redeunt volucres, mulcentq; parentem,
Annua Memnonio pactæ solennia busto.
Parte alia, natis flendos instaurat honores
Infelix Hecuba, hêu quantos enixa dolores.
Jam tumulos numerare licet, jàm tertia plangit
Funera, sic Niobæ geminis orbata pharetris,
Quem peperit populum flevit, nec parcior ira
Junonis: gravis huîc Saturnia, Delius illi.
Aruerunt lachrymæ, deploratusq; sepulchri
Jam tacitus, jam siccus honos, at solus in altas
Maternus crescit curas dolor, excitat ægrum
Anxietas animum, fraudesq; in vota ministras
Ultor habet gemitus, stabant radiantia Phœbo
Templa suburbano, nomenq; auctura tegebat
Lanugo Thymbræa Deum, circumq; supraq;
Umbrabat dominas foliîs ornantibus aras.
Huc Hecuba in facinus præceps, invitat Achillem,
Conjugii factura fidem, venit ille, sed arma,
Sed comites nulli, solùm sibi Nestore natum
Jungit, vix gladiô cingi memor: omnia linquit,
Dum

Dum miser optatos properat visurus amores.
Quin vetat insidias credi fraudesq; timeri
Ipse locus templiq; fides, at matris, adulter
Dardanus imperio, post læsa cubilia sævum
Nil reputans, pacemq; Deûm delubraq; turbas,
Occulit armatas post ipsa altaria turmas,
Vix fallunt animi præsagia, venerat heros
Martius, inq; ipso trepidus ter limine gressus,
Fixit, ter rediit, atq; alternante pavore
Erectæ sedêre comæ: ter præscia fati
Effigies lachrymata Dei, stupet ipse tumorem,
Ter timuisse negat, ruit ecce invisa juventus
Voce minax dextrâq; ferox, mediumq; coronant
Armata statione virum, prior occupat acer
Priamides, Ne flecte gradum, sponsæne petitæ
Amplexus habiturus abis! venit ecce, sed illam
Ornatu studiosa parens, jussisq; moratur
Mollibus, & trepidam primæ docet oscula noctis.
Dixerat, & gladium vibrans, & vulnera præceps
Prima petens, Nunc nunc addit, nunc si qua jacenti
Gratia, si quis amor lapsis, hoc sangvine, cives,
Exspectant Phrygii suprema piacula manes.
Ille quid? unde animi? vel quò fuga? turpe precari,
Et veniæ spes nulla: tamen mox veste lacertum
Multiplici munit, ac rapta cuspide, quantum
Nuda potest virtus & vis obesa, repugnat.
Et populum manus una metit, nec segnior ira
Antilochi premit, instat, agit, laudisq; supremæ

Ambitus, & præceps dat desperatio vires.
Sic quercus geminas certat pagana bipennis
Centena truncare manu, vix vulnere multo
Exhaustæ tandem nutant, lapsasq; sequuntur
Immensæ pariter nemorumq;. virûmq; ruinæ.
Haud secus heroes perstant, nec vincere pronum
Teucris, mille licet mortes hinc inde fatigent,
Nec jam vulneribus pateat locus, improba donec
Ipsa virum virtus fractos consumpserat enses.
Mox Pryges incumbunt propius, prolapsaq; nondũ
Congestis clypeîs casura cadavera, fisi
Quos nequeunt armîs, armorum pondere vincunt,
Vidit, & ultorem Phœbus curvaverat arcum,
Tela dabat Pallas, vetuit pater igne, sagittîs
Obvius intentis, & pacem fulmine sanxit.
Gaudet Alexander, faveant ceu numina factis
Et placeat fraus illa deis: avibusq;, ferisq;
Proh scelus, extorres artus & funera nuda
Projecisset atrox, melior ni justa moneret
Frater, & infandas Helenus compesceret iras.
Hêu quas lugendi facies, quos undiq; vultus
Communis Danaûm dolor induit, inde querelæ
Hinc lachrymæ, cum bina ducum cervice redirent
Funera, mortaliq; rogo duo numina belli
Relligio præmissa daret: nec se pare luctu
Myrmidones Pyljine dolent, certamine pulchro
Fletur, & æquanti jamjam latet agmine Nestor.
Sic si destituat superûm pater, orba querantur
Side-

Sidera, & ignoto contendant funera fletu,
Vincendi jam nulla fides: nec fata, nec ipsi
Spem præstant superi, perstant tamen ire, deosq;
Consultare libet, redeantne; an prælia firment,
Sed redeant potius; nec enim fiducia bellis
Æacide fuso, Calchas it, quærit, & audit,
Audit Achillea vincendum prole Pelasgis,
Pyrrhus erat, quem fata dabant, hunc Scyrius hospes
Servat, fœminei quondam nutritor Achillis.
Nec mora, decretô procerum, Menealus ituras
Disponit classes, novitq; & dicere pronum
Quas remô lassavit aquas, quos legerit olim
Portus, quæ freta, quas urbes, Calydonia virtus
Dulichiis adjuta dolis: cum puppe propinqua
Te Delos, te celsa Samos, te Bacchica Naxos
Raderet, at reducem rursus Bellona fatigat,
Armato modulanda stylô, produxerat ardens
Mygdonios in bella Paris, jamq; agmine toto
Maximus innumeris fratres æquare triumphis
Destinat, augescunt animi, majorq; videtur
Ipse sibi laxans arcus, & tela superbit
Spargere morte alia, majoribus utitur armis:
Nunc gladii pugiles, longo nunc fraxinus ictu
Fulminat, hi propius audent, hic eminus urget.
Hic non arte citat contum Scytha, gesa Sycamber,
Pila Ligur, jaculum Medus, Persesq; sarissas:
Ense Thoanta, Lamum telo, sude Dorcea fundit,
Ora Thoas plangit, Lamus ingvina, pectora Dorceo

Hunc

Hunc Pylos, hunc Pleuron, illum misêre Celenæ.
Parte furens alia cognatos impiger hostes
Turbabat Thelamone satus, septena coruscans
Terga boum, hasta viro quercus, jaculabilis uni,
Unam passa manum, non ferrea suta superbum
Velavêre latus, sive has bellare proterva
Non tulit ira moras, seu lato pectoris orbe
Se totum latuisse ratus sic sævit inermis,
Sic premit armatos; maturat fata cadentûm
Terror & ignavis mors est vidisse furentem.
Hunc Paris intuitus paulùm hæret an ense sequatur,
An jaculô: tandem Cortinia tela resumens,
Hic quia certa, manus, & nunquam surda volenti
Corython viduat arcu, pharetramq; sagittîs,
Arcum læva premẽs, intendit dextera nervum,
Utraq; suspendit telum, insidensq; sagittæ
Ductor in angustum visus coit, ibat arundo
Hinc pennîs pectus tangens, hinc cuspide lævam.
Jamq; emensa fugam lateri insidiata sinistro,
Ipsa morte madet, sed juncti frigora lethi
Ira ardens nescit, donec fuso hoste furentis
Ultrix tempestas animi satiata quiescit.
Sic dextros in vota deos, alternaq; fata
Felices habuêre manus, felicior illa
Quæ cœdis scelerumq; faces, belliq; tyrannum
Abstulit, & mœchos dedit ire in tartara manes.
Vade nocens, quô noxa trahit: te sexta meretur
Tenariæ spelunca domus, si quartus amores

Tia-

Tractus habet, quintusq; viros at adultera vitant
Funera, & incesto congressos Marte tyrannos.
Te plaga sulphureas Titanum amplexa catenas
Demerso clausura sinu, nos ultima, & ima
Poscit humus: tibi Styx odium, Phlegethōq; vapores
Cocytus lachrymas. Acheron lamenta propinat.
Te portu procul ire Charon, & limine cogat
Cerberus, at tandem cum jam trasmissus abibis,
Occurrant Herebi pestes, mors omnis in unum
Acceleret jurata caput: tibi Tantalus undas,
Ixion radios, saxum remeabile reddat
Sisyphus, ac Tityus volucres, hæc gaudia sumas
Dum mare sorbet aquas, imbres dum nunciat Iris.
Postquam Helenē trepidas exurens nuncius aures
Perculit, ingenti longum suspensa dolore
Vox pariter lachrymæq; hærent, fugitivaq; fallit
Mens, subitam mentita necem, vix rore madenti
Frigidus in sensum remeat dolor, ilicet ori
Et laceris irata comîs, circumspicit enses,
Et causas jam mortis habet, tacitèq; volutat
Cujus furetur gladium, quem tela precetur
Ipsa sua moritura manu sensêre furentem
Iliades, nimiumq; ausos lenire dolores
Agrestæ vicibus: dux blandior ipse furenti,
Quòd spretis nunquam Phrygiis optâsset Achivos.
Finis erat lachrymis, pariterq; exhausta latebat
In noctem progressa dies, at fervidus ira,
Tydides, quamvis fractos, & in ipsa fugatos,

Mo-

Mœnia turbat Adis hostes, clausoq; lacessit,
Nocturna statione Phryges, non tessera sortem
Elicit excubiis, ultrò vigilantibus instant
Ignibus, & nullo pulsantur pectora vento.
Vix emensa dies, redit armis impetus, urbem
Invadunt, tormenta rotant, dat vinea vires,
Et silices balistâ movens, testudo viatrix
Subdola, fossoremq; aries suspensus in ictum.
At Phryges instantes prohibent, nunc grandine saxi,
Nunc ferri nimbo, nunc sparsæ fulmine massæ.
Nulla tamen pavidis nudo fiducia Marte
Campestres iterare manus, seq; urbe tuentur,
Virgineas donec Priamo peltata bipennes
Penthesilea movens, hæc integrat arma, cohortes
Firmat bellatrixq; viris dat fœmina vires.
Panduntur portæ, refugosq; in castra Pelasgos
Pellit agens jugulis gladios, incendia velis.
Destinat, excutiens Tydides unus utrumq;
Clarius in nullis expressit Tydea bellis.
Ecce Neoptelemus dena subit hospita pinu
Ægæas permensus aquas quis prælia fatis
Fortunam miscere neget? dant fata Pelasgis
Pyrrhum, dat Scythicas Phrygiis fortuna catervas.
Prodiêrant in bella pares, stetit inde Pelasgûm
In cuneos collecta acies, hinc virgine mixta
Troja frequens, utrinq; DE', sua quisq; coruscat
Numina, Palladiæ pacem mentitur olivæ
Cecropidûm clypeus gentili Marte minatur

Bi-

Bistonidum cassis: Mars undiq; & undiq; Juno
Plurima fraxineo nunc verberat aëra peplo,
Nunc sedet in parmis, capitum nunc surgit in arces.
At Phryx Idæa Cybele, Idaliaq; superbit
Cypride, fulminei Tyrias pars alitis alas
Incestat Ganimæde suo, sic ire decorum
Certantes, sic dulce viris confligere divos.
Eminet horrificas rapiens post terga secures
Virginei regina chori, non provida cultus
Cura trahit, non forma juvat, frons aspera, vestis
Discolor, insertumq; armis irascitur aurum,
Si risum, si verba notes, si lumina pendas,
Nil leve, nil fractum, latet omni fœmina facto.
Obvius ultrices accendit in arma cohortes,
Myrmidenasq; suos curru prævectus anhelo
Pyrrhus, non ducibus miles, non ultor Atridis,
Sed sibi bella gerit, meritosq; offensus in hostes
Arma patris ultor habet, sed tanta recusant
Pondera crescentes humeri, majoraq; cassis
Colla petit, breviorq; manus vix colligit hastam.
Prima Mycenæum dextra flagrante Menetum
Penthesilea petit, dabat hic convitia cunctis
Ore leo, sed corde lepus, frendensq; stupebat,
Cum pavidæ & nullis usæ Pelopeides armis,
Fœmineas audire tubas, at frigore nescit
Nativo geminum crudescere vulgus, & axem
Sarmaticum generare, animis gentilibus iram
Tunc sic increpitans, pudeat Mars inclyte dixit:

En tua

En tua signa gerit, & nostra effæminat arma
Staminibus vix apta manus, nunc stabitis hercle
Perjuræ turres, calathos & pensa puellæ
Plena rotant, sparguntq; colos: hoc milite Troja,
His fidit telis, at non patiemur Achivi:
Et si turpe viris timidas calcare puellas'
Ibo tamen contrà, sic ille, at virgo loquacem
Tarda sequi sexum velox at prælia solo
Respondit jaculo fatum miserabile lapsum
Hasta solo figit pendent vestigia præceps
Ire laborat equus cuspis vetat, atq; ità carptim
Infelix diro lacerent certamine corpus
Haûd minus Adrestum Pyrrhus premit, ille deorum
Proles mortali vitam, sed reddidit hosti
Mox alias utrinq; manus dextrasq; minores
Accedunt exempla ducum quis singula pandat?
Si fluctus Siculos, Lybicæ si messis aristas,
Hyblæas si secter apes, tot vulnera tantas
Haûd tamen expediam cædes, nunquā ante Machaē,
Pluribus, aût tantis eguit Podalyrius herbîs,
Jamq; humiles populata manus concurrere binos
Molitur fortuna duces, nec longa morati
Arma parant, parentq; alacres, audentibus olim
Accessum non turba dabat, nunc largior usus
Camporum numerusq; minor, proba improba Pyrrhū
Penthesilea premit Mars hunc, hanc implet Enyo
Ad sexum non tarda suum. Tritonia neutri,
Neutri Juno favet, Pyrrhum nec vincere malint,

In spa-

In ſpatium jam creſcit ager, porrectus uterq;
Contus, uterq; enſes, admiſſos calce fatigant
Cornipedes primas perdit ſed fraxinus iras,
Pars clypeis immenſa ſedet, pars ſpargitur arvis
Partem dextra tenet, mox certior enſe propinquo
Crudeſcit ferri rabies, prima erigit ictum
Virgo, ſed raptis obliquo vulnere criſtis
In clypeum deſcendit ebur, medioq; retentum
Vix perfert umbone moras: dumq; elicit enſem
Altiùs impreſſum, lævam mucrone papillam
Tranſadigit Pyrrhus, ſic imperioſa virago
Degladiata ruit, tanta eſt reverentia ſexus,
Sidonias in crura togas, ſinuoſaq; texta
Colligit, & multum fatis irata fatiſcit.
Fit fuga Dardanidum, turbantur Amazones, æger
Ad ſexum facilis rediit timor: undiq; terror
Palantumq; metus, diſcors ignavia pugnat
Præceptura fugam: nullis ſuccurrere lapſis
Fratribus, aut notos mens reſpexiſſe vocantes.
Pars jam nacta urbem, Danao pars præda ſequenti
Linquitur at pauci cum certa pericula cernant
In portus redeunt, & fata decora merentur.
Venerat extremi revoluto ſtamine penſi
Fatorum promiſſa dies, decimuſq; rotabat
Speratum Titana labor, præſagia mille,
Mille mali micuêre minæ, metuenda cometæ
Sangvineis cecinêre comis, ac Phæbus uterq;
Nunc duplex, nunc nullus erat: non crebrior unquã

Ira Jovis, non plura novis portenta figuris
Viſa prius, ſilicum lachrymis, ſudore deorum,
Latrantûm gemitu, partuq; in monſtra ſoluto
Venturi jam clara fides, accendit Achivos
Teſtorides panditq; deos illi undiq; muris
Inſultant, quà terra patet: pars nectere claſſes
Deſtinat, & cunctos urbis tentare receſſus.
At Phrygii reditus Lædeos pace paciſci
Et tandem longis hortantur fœdera bellis.
Svadet idem Anthenor; ſvadet facundior illo
Polydamas, ſvadet leni mitiſſimus ore
Dux Anchiſiades, reges cecidiſſe queruntur
Et raras ſupereſſe manus: nec ſola gemiſcit
Ilios aut Phrygii fines, at quicquid Idaſpem
Gemmiferum, Scythiciq; interjacet æquoris algas
Belli damna dolet: nec par fortuna Pelaſgis.
Pugnat Achilleides, conſultat Neſtor, Ulyſſes
Fallit, & Atridas ultrix exaſperat ira
Haûd tulit Amphimacus, pacem negat, arma repoſcit
Edicit laxare fores, Phrygibuſq; triumphum
Deſtinat, aût pulchro victuram funere famam
Ipſe æquaturus fratres, verùm Hectore major,
Sic cedat puer, & pugiles vir ſurgat in annos,
Quin Priamo licèt in ſenium deiectior ætas,
Algenteſq; negent onerari caſside cani
In ſene non marcet princeps, in principe vernat,
Miles, & imbelles audent certamina rugæ,
At ducis offendunt auſus, coguntq; timere,
Mobili-

Mobilitas suspecta Phrygum, bellum author agendū
Jusserat Anthenor, nunc svadet fœdera: Sparten
Æneas populatum ierat, nunc reddere prædam
Censet, & hostilem cupiat meruisse favorem,
Ergo dolis cassare dolos, & tollere fraudem
Fraude parat, formatq; artes, hoc ordine ductor.
Fingere sacra vovet, festæq; ad fœdera mensæ
Invitare duces, dumq; una pocula tractant,
Irruat Amphimachus, armatis acer inermes
Occupet insidiis: sic tuti libera Martis
Copia & hærebit nullis victoria causis.
Interea questiq; diu, bellumq; perosi
In fœdus cojere Phryges, juratur in usum
Perfidiæ perjura fides, Anthenore dirum
Parturiente nefas, hujus consulta secuti
* Ucalegon, atq; Amphimadas. nec justior ipso
Polydymante Dolon, patriæq; in damna ruentis
Impius, & tantis Æneas consonus ausis.
Nuncius Argolicis prodendas indicat arces
Polydamas, pacemq; in pactum fraudis habendam
Juratis poscit, tacitumq; in mœnia furto
Poscit iter Danais Nestor timet, hæret Ulysses.
Furta negat Pyrrhus: illos incerta morantur
Pollicita, & falli metuunt: hic vincere certus,
Nocturnis refugit bellis fœdasse triumphum:
Res turbat suspecta duces, Phrygioq; retenta
Traditur Inachio legati cura Sinoni.

* *Proditio Trojæ.*

Promissis audenda fides, petit ille penates
Iliacos, dubiosq; Anchisa teste timores
Soluit, & acceptas jurante Anthenore voces.
Ergo fidem ducibus testati numina pangunt
Inachidæ, lætiq; jubent, sua, seq;, suosq;,
In nullos nutare metus: dona insuper addunt,
Et firmant promissa datis, nec Pergama tantum,
Innumeras Asiæ spondent cum civibus urbes
His hilaris Phryx certus abit, quodq; hostis in urbe
Captet iter, quando veniat, quæ signa movendi
Militis, & cauto dispensat singula nutu.
Porta latens, tacitosq; dolis furata meatus
Inscriptum Pegasi tollit caput: hac iter Argis,
Huc jussi venêre duces. Sol merserat axem,
Venturis hoc tempus erat: fax igne sereno
Visa viris, hæc signa dabat, sic milite juncto
Securi dubijq; meant. Phryx indice flamma
Pandit iter, laxatq; fores, ô dira nocentum
Consilia, ô cunctis incognita crimina fastis.
Florebant Asiæ fines, florebat opimis
Troja suis, & rege potens, & milite tuta.
Nec superos, nec fata timens, victoria Grajum
Mentito Calchante brevi cessisset, at hostis
Indigena & (quo nil gravius) privata nocendi
Copia Testoriden vatem facit, invidet ipse,
Ipse urbem civis aperit, non cardo susurrat,
Non clypei, non tela sonant, scit turba silere.
Omnia clam, clarumq; nihil, prior urbe potitus
Impa-

Impatiens ſævire dolis, & vincere furto,
Exclamat Pyrrhus, nunc obvia tela parate,
Ite Phryges contrà, quonam uſq; in ſomnia torpor
Nil tuti ſupereſt, poſtes laxamus, & ecce
Irruimus Danai, ſi quos concurrere mecum
Ira trahit, non egregium damnabitur umbris
Martis opus, facient ignes ſpectacula veſtri
Fatur, & incendit rapta face Pergama primus,
Ipſe ſibi patuiſſe volens, pars cœtera ferro
Certatim, flammaq; furit: populator oberrat
Ignis, & in medios gladii venêre ſopores
Nox fera nox verè, nox noxia, turbida, triſtis
Inſidioſa, ferox, Tragicis ululanda cothurnis,
Aut Satyra rodenda gravi, tu ſola triumphas,
Tantorum niſus ſteriles lucrata dierum
Si mihi Carpathias lingvis æquare figuras
Detur, & innumero creſcant mihi pectora Phæbo.
Non tamen expediam cædes, incendia, luctus,
Quos Phrygiis nox una parit, pars ignibus enſes
Pars gladiis vitant ignes, caſuq; gemendo
Incurrit fatum, fati fuga ſola timetur,
Quæ prior in ſenſum, mors germinat utraq; paſſis
Funera, fas multis geminos conferre dolores.
Dira mali facies, ævoq; ignota priori.
Hinc ſomnus vigil, inde odium; nulloq; rebelles
Objectante manus, ferienti copia dextræ
Delegiſſe necem, jugulumne an pectus, an ora
Occupet, aut cunctos in vulnera computet artus.

At quibus in menſas noctis productior uſus.
Aut verbis vigilata quies, vulgante tumultu
Urbe frui Danaos, aut viſis ignibus, arma
Defenſura parant, ſed flammis undiq; ſepti
Præreptum mirantur iter, fruſtraq; parantes
Incenſos exire lares, aſperrima queſti
Funera, conſumptis pariter moriuntur in armis.
Expediam cædes? & ſingula fata revolvam?
Sed tenebris latuere manus, ſed nocte perempti,
Sed premit umbratam nocturna inſcitia Muſam
Fugerat amplexus aras & templa tonantis
Infelix Priamus, nec enim fiducia dextræ.
Ceſſerat ira metu magno tamen arduus ore,
Non prece, non lachrymis, non vultu ſupplice regē
Exorat cui Pyrrhus atrox, reddiſne Pelaſgis
Spartanas, reddiſne nurus? an prælia mavis?
Et nondum bellare times? cur ſtringis eburnos
Diis inviſe deos? læſiſti numina ſponte,
Cogor in exemplum: cecidit pater hoſtia Phœbo
Tuq; Jovi, dixit, indignatuſq; jacentis
Cæde frui, trepidum prenſis à vertice canis
Erigit in vulnus, gladiumq; in viſcera condit
Non longum cunctata manus, levis ire ſub umbras
Vita hebes: ipſe tamen membrorum pondere ferrū
Permiſſus cecidiſſe juvat, tandemq; dierum
Plenus obit, felix ſenio, lætuſq; juventa,
Si ſtabili fortuna fide, ſi fixa maneret.
Poſt Zephyros plus lædit hyems, poſt gaudia luctus:

Unde

Unde nihil melius, quàm nil habuiſſe ſecundum.
Poſtquam Hecubæ jam certa mali vulgata recentis
Fama rapit greſſus, & nil cunctata per enſes
Audet iter, laceriſq; comis & pectore cæſo
It quærens & quæſta virum. Quiſnam, inquit Achivi
Lugendos miſerè ſecat artus? reddet? an illum,
Prædam avibus, prædamq; feris ſparſiſtis ademptum
Quærendumq; mihi? cedunt turbata furenti
Agmina, dantq; viam, regi illa inſtrata reperto,
Hêu meus ingeminat, longò poſt tempore muta:
Hêu iterat repetitq; meus, ſic ſæpe diuq;
In voces diffuſa breves, vix deniq; queſtus
Continuos nectit, & ſic exorſa, profatur.
* Quos gemitus, quæ digna ſatìs lamenta rependes
In lachrymas ſimulate dolor? non arguo luctus.
Defecère genæ, fletuq; exhauſta profundo
Lumina caligant, acies hebet, inſita dudum
Plaga, ſed elingves ſiluére huc uſq; dolores.
O cœlum, ô ſuperi, quibus irritata peperci
Fœmineis nil auſa modis, quo crimine tantis
In pœnas damnata malis? ſi digna necari,
Cur vixi? hêu, miſeris longo nil triſtius ævo.
Num thalamos, partus ne querar, ſæviſſima nupſi
Infelix peperi, potuit ditione ſerena
Iſtè frui? mecum Parcæ nupsêre nocentes,
Et pariter ſtetit ira Deum, quin pignore multo
In partus fœcunda fui, fatoq; ſiniſtro

* *Lamentatio Hecubæ.*

Et conjunx & mater eram: nunc orba creatis,
Nuda viro, gemino didici contendere planctu,
Claudendis lassata genis, & funere multo.
At te chare Hector, te tuta superstite dudum
Troile Troja fuit: nec enim pars impia nostri
Fax uteri memorandus erit, sic fatur, & ignes
Quos Phäetonteæ nequeant æquare favillæ,
Quosq; neget tibi Roma Nero, miratur, & addit,
Has nè faces peperi? peperine, & fulmina cessant?
Hæc uteri fœtura mei, nec solvit hiatum
Terra vorax? peste hac timui, parcuntq; minaces
Deucalionis aquæ? vos ô quos impia læsi,
Vos potius quibus hæc peperi lamenta, nocentem
Certatim leniate Phryges, sed ferior ira:
Tunc tempus, cùm somnus erat, tuq; inclyte conjūx,
Tu thalami tumuliq; comes, tecum ibo sub umbras.
Me miseram deerit ne hostis? ubi bella furentum?
Pyrrhus ubi? date tela, viri date tela, seniles
Sufficient in fata manus, discam ne vereri
Argolicas captiva nurus? sic fatur, & omnes
In luctum Danaos pietas extorta resolvit.
Et jam rorificas noctis nudaverat umbras.
Sed nondum detersa dies, ultrò ipse latebat
Phœbus, & eversis, quæ struxit mœnibus, hostem
Ingemuisse putes, præda omnis in arce Minervæ
Congeritur, noctisq; lucrum: Trojæq; jacentis
Metiri jam fata licet, tot ditia spectes
Arma, deos, cultus, gemmas, ebur, æra, nec unquā

Plu-

Pluribus intumuit victrix fortuna trophæis.
Postquam justa ducum suffecit copia, vûlgo
Spesq; avida tribuens vicit manus, undiq; lætos
Conclamant reditus tandemq;, sed exule bellos
In sese natura redit, dat tempora vates,
Dat lucem qua vela parent, suntq; otia Grajis
Interea, lustrare vago fumantia gressu
Pergama pars odjis nondum furjisq; peractis,
Rheteos spoliat colles, latura cupressum
Funeribus, laurum sacris, & puppibus alnum.
Jam votis tumulisq; modus, classisq; novata
Æquoreum sulcabat iter: rotat obvius ecce
Auster aquas, geminasq; hyems & flumina & imbres
Tempestas inopina movet: monet augur ituros
Nondum placatis iterare piacula divis.
Jussa duces obeunt, memoriq; Polyxena Pyrrho
Non inventa subit: frendit Phrygiosq; lacessit
Efferus, hanc thalamis, Hecuba tradente paternis,
Dux Anhisiades absconderat, ô scelus ingens,
Redditur invisis infelix præda Pelasgis.
At licet haud æquas, servata virgine pœnas,
Exul agi jussus Æneas pendit, & usus
Puppe bis undena, quas prædo duxerat alnos
Dardanus, exili comites habet, urbe potitur
Anthenor, regniq; decus rex lectus adauget,
Astrictus sociis in fœdera læta Gabinus.
Hanc tamen extorto cupiens evertere sceptro
Menalias mendicat opes, Dircæa pererrat

Oppi-

Oppida, digressis audax bellare Pelasgis
Æneas, sed cassa novi molimina belli
Questus, in Hadriacas exul delabitur undas,
Hic urbi Corcyra novæ, quam struxerat ipse,
Nomen, & exiguo regnat contentus agello,
Romanis olim permissus mœnibus autor
At regina gemens, & nunquam credita Teucris,
Cernusium Cassandra petit, comitemq; secutus
Andromachen Helenus sic Ilios unica damno
Ubere regna, urbes populis, & gentibus implet.
Jamq; Phoronæi post diruta Pergama reges
Ægæum tenuêre fretum, spoljisq; superbi
Iliacis, nulla cursus turbante procella,
Concordes secuêre vias, quum carcere fracto
Effreni fremuêre Noti, cœliq; tumultus
Dispulit aut pelago puppes, aut fluctibus hausit.
At vaga Locrorum classis, dum turbine fertur,
In scopulos projecta perit: quin fulmine quassa
Regia qua vectus Ajax, ratis, ipse profundis
Corporis obsequio frustra libratur in undis.
Mox ubi victores audit remeare Pelasgos
Ajax Naupliades, titulos Pelamede perempto
Fraternos objisse dolens, livore maligno
Saucius, Argolicas ad bella nefanda puellas
Provocat, & sceleris caussas molitus iniqui,
Hèu miseræ! quid sacra [inquit] quid vota tot annis
Deplorata juvant, servata jura maritis
Et nunquam temerata fides? rediêre, sed ecce,
Fama

Fama nurus Phrygias simul adventare, premetq;
Barbara servitio thalamos captiva priores.
Immò age, Lemniadum memores audete Pelasgæ
Par factum causis paribus, trepidatis inertes:
Imperat indignis pellex regina puellis,
Vix hæc, & subitos vulgavit fama tumultus
Argolicos venisse duces, ô rara deorum
In finem producta fides, sis tempore longo
Faustus sis quovis major, quid stultè, superbis?
Ultima felices ætas facit, en habet Argos
Nil bellis quæstus, nil æquore passus Atrides:
Victorem jugulum conjunx secat, audet adulter
Insidiis mactare ducem, tristisq;, reverso,
Egiale Diomede suo, non osculo, risus,
Blanditias, sed bella movet, similesq; tumultus
Molitæ Argolides aliæ, vel fraude maritos
Excipiunt, vel Marte negant venientibus urbes.
Ergo ubi Grajugenæ pulsi civilibus armis
Cessêre exiliis, & devenêre Corinthum,
Singula collatis vultum convitia bellis
Ire parant prohibet Nestor, pacemq; suorum
Consultu potiore petit: prece flectere cives
Non armis tentare monet, nè publica damna
Et regno pariat lis intestina ruinam.
Sic damnis bellum nullis civile soporat
Majestas dignata preces, & Marte sepulto.
Fœmineas non passa tubas. pietasq; fidesq;
In dominos antiqua redit, sua cuilibet ultrô

Regna patent, patriamq; Samon delatus, Ulysses
Syrenum modulos. Siculum mare, Monycha passus
Hospitia, Antiphatis mensas, & pocula Cyrces,
Dulichios tandem finis tenet, inq; pudicas
Penelopes post multa redit connubia tedas.
At fati præsaga quies horrendaq; visa,
Telegoni gladios cognataq; tela minantur.
Sic Circes despector obit, sic victima nati:
Sed senio validus, Asiæ sed victor opimæ.
Postquam Tyndaridem patrias remeasse Mycenas
Claruit occurrit densis Europa catervis
Plistiniam mirata nurum flagrantq; videre
Eversorem Asiæ vultum quin ipsa superbit
Accendisse duces, lacerasse in prælia mundum,
Infamem famæ titulum lucrata pudendæ.
Hactenus Iliacæ questus lamenta ruinæ
Confusa explicui veteris compendia veri.
Vive liber, liberq; vige: sed si qua nocebunt,
Disce libens livore nihil sublimus esse.
Cum tibi mordaces obliquent læva scachinnos
Murmura cum cupiant lingvis lacerare prophanis,
Sis utinam invidia dignus, quæ summa lacessit.
Quam pascit præsens, extremaq; terminat ætas.

COR-

CORNELII NEPOTIS
ad Saluſtium Criſpum Epiſtola,

Cornelius Nepos Salluſtio Criſpo S.

Quum multa Athenis curioſè agerem; inveni hiſtoriam Daretis Phrygii *ipſius manu ſcriptam, ut titulus indicat, qui de Græcis & Trojanis memoriæ commendavit. Quam ego ſummo amore complexus, continuo tranſtuli. Cui nihil adjiciendum vel diminuendum rei formidandæ cauſa putavi, alioquin meam eſſe poſſet dubitari. Optimum ergo duxi, ità ut fuit verè & ſimpliciter perſcripta, ſic eam ad verbum in latinitatem tranſverterem, ut legentes cognoſcere poſſint quomodo res geſtæ eſſent, quas Dares Phrygius memoriæ commendavit, qui per id tempus vixit & militavit, quo Græci Trojanos oppugnarent. Minimè Homero credendum qui poſt multos annos natus eſt, de quo Athenis judicium fuit, cum pro inſano Homerus haberetur, qui Deos cum hominibus belligeraſſe deſcripſerit. Sed Hactenus iſta. Nunc ad pollicitum revertamur.*

FINIS.